ANALOGO-DIAPHORA,

SEU

Concordantia Discrepans, & Discrepantia Concordans

trium Linguarum,

Gallicæ, Italicæ, & Hispanicæ.

Unde innotescat, quantum quæque à *Romana* linguæ, unde ortum duxere, idiomate deflexerit; earum quoque ratio & natura dilucidè & succinctè delineantur.



Operâ & studio

PETRI BENSE *Parisini* apud

OXON: *has linguas profitentis.*



OXONIÆ,

Excudebat GUILIELMUS TURNER,

Impensis Authoris. M.DC.XXXVII.


Academiæ Cantabrigiensis
Liber



ALMÆ MATRI

Clariſsimæ Pallados ſoboli
Inclytæ OXONIENSIUM Academiæ.



N *tibi, Clariſsima Muſarum Progenies & Patrona, uno eodemque fonte ſcaturientes tres limpidiſsimi ſeſe conſecrant rivuli: En tibi (fertiliſsimum univerſæ doctrinæ ſeminarium) tres ſurculi ſeſe devovent, uno eodemque exorti trunco. Tuum ſolicitè ambit patrocinium, ad tuum ſolius ſe ſiſtit tribunal pulcherrima linguarum trias, eâdem prognata matre,* Gallica *nimirum,* Italica, *&* Hiſpanica. *Circa primatum celebris olim dearum triados apud Paridem, inter eas non diſsimiles exortæ ſunt*

ſunt lites, non minori difficultate quam judicio componendæ: Quem arbitrum conſtituant deliberatur. Galliam? Italiam? Hiſpaniam? *quælibet partium favore vel odio meritò ſuſpecta: Vno itaque conſenſu ad tuam dignitatem,* Ornatiſsima Academia, *ſe conferunt, apud quam communis illarum parens, lingua* Romana *ſuum videtur conſtituiſſe domicilium: Singulæ ſuis expreſſæ coloribus tuæ ſe ſubmittunt cenſuræ.* Gallica, *quamvis* Teutonicis *hinc inde diſtincta maculis, primum nunc dierum ferè locum obtinet: æquiſsimus quippe* Galliæ *genius eam tantâ adornavit elegantiâ, ut duabus alijs facillimè palmam præripiat: culta enim & elegans ipſius forma omnium ſibi conciliat animos; tùm verò præcipuè eorum, qui nobilitatem ſanguinis nobilibus ſtudent decorare linguis: In aulis omnium propemodum principum, maximè occidentalium, viget illa & floret: & in tot ſeſe jam nunc orbis diffundit partes, ut non parvâ cum gloria & honore lingua Nationum appelletur,*

tam

tam lati sunt suavis illius imperij fines, ut vix longiùs excurrant materni limites regni, quod utrum invidiam, vel potiùs gaudium almæ ipsius creare debeat parenti, liquidò non constat. Italica *suos lepores habet, acuminibus lascivit, delicatâ sermonis formulâ, tenellâ & auribus aptâ oratione luxuriat, suavitatis plena & venustatis superbit, miro sublimis elegantiæ delectu ante discrimen triumphat; utpote quæ vividiora, magis genuina & nativa referat matris lineamenta.* Hispanica *gressu ad nativam non mimicam gravitatem composito, paulò citra elationem erecta incedit; grave & severitati propius dicendi genus amplexatur, non triste tamen nec impexum, sed expolitum & magnificum; muliebrem cultum dedignatur, nervosa lubentiùs audit, quam fucata: nec immeritò à quibusdam vocari solet lingua Deorum,* Italica *Angelorum,* Gallica *hominum. Sed manum de tabulâ, ne tædium quod impolitâ verborum congerie creaverim, & prolixâ insuper adaugeam: Me advocatum*

pro

pro modulo meo qualem qualem præſtiti, rationes cujuſpiam, analogias, & diſcrimina pro ſuccinctâ Epiſtolæ menſurâ leviter prælibavi, fuſiùs in libello tractaturus. Haſce ſuorum laborum primitias devoti erga te animi qualecunque τεκμήριον ſub umbra tui patrocinij in lucem edi peroptat.

Tuis omnibus addictiſsimus

PETRUS BENSE *Pariſinus.*



ANALOGO-DIAPHORA
Trium Linguarum,
Gallicæ, Italicæ, & Hispanicæ.

De Literis in genere.

GAlli, Itali, & Hispani, (quorum Idiomata, eorumque analogiam, & peculiares differentias, præsertim jam suscepimus explicandas) quoad characterum seu literarum formas & nomina quidem consentiunt, sed quoad numerum aliquo modo discrepant.

Itali quinque solùm vocales habent, *a, e, i, o, u*; quarum imperium adeò latè extenditur, ut omnia prorsus hujus Dialecti vocabula in unam ex illis necessariò finiant; nullaq; inveniuntur terminantia per consonas præter quinque monosyllaba, tres Præpositiones, *In*, *Per*, *Con*, Adverbium negativum *Non*, & Articulus *Il*. Et quamvis sæpè reperiantur voces, quæ in *m, n, r, l,* desinere videntur, non sequitur similia vocabula non finire in vocalem, sed solummodò vocalis finalis eliditur ratione liquidarum; quando scilicet dictio sequens incipit à consona, ut posteà fusiùs explicabimus: quando de vocibus truncatis sumus tractaturi.

Sextam vocalem à Græcis mutuatam non admittunt, sicut *Galli* & *Hispani*; neque *j* consonam; neque *x*; neque *ph*; nec *ch* ante *a, o, u*. Nec tandem ç cum cedilla, *Gallis* & *Hispanis* admodum familiare.

I vocalis *y* partes sibi vendicat.

Quoties *j* apud *Latinos*, *Gallos*, & *Hispanos* consonantis qualitate induta in oratione poterit adesse, illi præponunt *g*, ut naturam mutet, & fiat vocalis, justus *giusto*, jardin *giardino*, jamas *giamaj*: aliquando etiam solum *g* in illius locum substituunt, ut in his dictionibus Latinis Juniperus *Ginepro*, objectum *oggetto*; & Gallicis, jalousie *gelosia*, jambe *gamba*.

S locum tenet *x*, & illius vice inter duas vocales ut plurimùm duplicari solet, Alexander *Alessandro*, saxum *sasso*. Si verò post *x* sequitur *c*, cum *e* aut *i*; tunc *x* in *c* mutari debet, excellens *eccellente*, excitare *eccitare*, alias semper mutatur in *s*.

Scribunt *f* loco *ph*; philosophus *filosofo*: & dictionibus quibus Latini & Galli *ch* apponere solent; aspirationem rescindunt tanquam superfluam, charitas charité *carità*, chorus choeur *coro*, charbon *carbone*, chose *cosa*; id quod similiter observant ante *e* & *i*, Gallorum, chercher *cercare*, chifre *cifra*: & superfluitas apparet in eo quod *c* ante *e* & *i*, apud Italos proferatur eodem modo quo *ch* apud Gallos; ultra quod *ch* Italorum ante *e* & *i* pronunciari debeat, tanquam Gallorum *que*, *qui*; aut Germanorum *ke*, *ki*.

Neque possunt Itali quarundem consonantium ferre concursum, sicut *b*, *c*, *p*, ante *t*. *b* ante *d*, *m*, *r*, *s*, *t*; *m* ante *n*. Sed priorem mutant in sequentem consonam, obtineo *ottengo*, pectus *petto*, sceptrum *scettro*, subdiaconus *soddiacono*, submergere *sommergere*, subridere *sorridere*, absolutus *assoluto*, subtilis *sottile*, somnus *sonno*, damnum *danno*. Nec solent admittere tres consonantes consecutivas, nisi ultima trium sit *l*, aut *r*. Ideò dicunt *costante*, *astinenza*, *trasmuto*, & non *constante*, *abstinenza*, *transmuto*: Optimè verò *conclusione*, *semplice*, *splendore*, *centro*,

tro, ſempre, ſtrame : de hac re poteris conſulere *Lodovico Dolci*, in ſuo tractatu *Della lingua volgare.*

Galli & *Hiſpani* ſex vocales agnoſcunt, *a, e, i, o, u, y*, & conſonantes, quas *Itali* reſpuunt, admittunt: Verùm *Hiſpani* hâc in parte ſunt ſuperiores, nam præter conſonas, quibus ſimul omnes utuntur, adhuc duas recipiunt, & quoad pronunciationem, & quoad valorem ab aliis omnino diverſas, nimirum geminam *ll*, & *ñ*, quam vocant *ñ, cum tilde*, ut in iſtis *llamar, llorar, empeñar, enſeñar.*

Ultimam *Galli* & *Itali*, neque etiam *Latini* exprimere poſſunt, niſi duplici literâ, videlicet *gn*, quarum munere ut plurimùm fungitur, ut in ſequentibus Seigneurie, *Signoria*, Señoria; Eſpagne, *Spagna*, Eſpaña: aliàs ſi *gn* ſcribere illis occurrat, illud proferunt ſicut *Latini*; jungendo ſcilicet *g* cum primâ ſyllabâ, & non cum poſtrema, ſicut faciunt *Galli* & *Itali*: Nam ſi *Gallica* aut *Italica* pronunciatio eſſet retinenda, tunc ſcriberent *ñ* cum tilde, & non *gn, v.g.* dignus *diño*, magnificus *mañifico*, id quod eſſet abſurdum, ut bene notavit Nebriſſenſis, & Cæſar Oudin, initio ſuæ Grammatices. Hac item literâ utuntur *Hiſpani* in dictionibus quibus *Itali* ſolent apponere duplicem *nn*: *Anno* año, *damno* daño, *donna* doña, *inganno* engaño, *ſonno* ſoño.

Altera quæ eſt duplex *ll*, neque ab his, neque ab illis exprimi poteſt, niſi à Gallis poſt *i*, maximè quando coaleſcit in dipthongum cum alia vocali, ut in nominibus *muraille muralla, merveille maravilla.* Hujus autem conſonantis diſcrimen à duplici Latinorum & Italorum *ll*, patet in eo quod Latini & Itali, & etiam ut plurimùm Galli primam *l* cum prima ſyllaba proferant; alteram cùm poſtrema, *villa, ville, villa; vil la, vil le*: Hiſpani verò in una eâdemque ſyllabâ *vi lla.* Ideò doctiores ſimplicem *l* apponunt quibuſdam vocibus, quibus neceſſa-

tiò conſervari debet ſonus Latinorum, illuſtris *iluſtre*, excellens *excelente*, Camillus *Camilo*. Tullius *Tulio*, ut optimè obſervarunt *Chriſtophorus de la Caſa, Johannes Miranda*, & noſter *Oudin*. Deinde eſſet abſurdum duplicare eandem conſonam in eadem ſyllaba, maximè in principio dictionis, ſicut Hiſpani ſolent facere pro hac conſona, præſertim vocibus quibus Latini & Galli ſcribunt *l*, quavis alia præcedente conſonâ, flamma *flamme* llama, plenus *plein* lleno, clavis *clef* llave; Secundum Germanorum & Anglorum uſum, qui ſæpiſſime ſuas geminant conſonas, *v.g.* *v* & *l*, ut in hoc verbo **Ich will, I will.**

De literis in ſpecie, ubi peculiares quædam mutationes examinantur; ac primùm de Vocalibus & Diphtongis.

QUamvis Hiſpanorum vocales *i* & *y* eundem prorſus habeant ſonum, magnum tamen inter eas diſcrimen comperio: Nam *J* conſonantibus ſemper jungitur, vel in eadem ſyllaba, ut *infinito*, vel per ſe ſyllabam facit, ut *imitar*; nec in diphtongo locum habet. *Y* verò nunquam jungitur conſonanti, niſi in principio dictionis, idque raró, *v.g.* in iſtis *yr*, *yzquierdo*; ſed cum aliis vocalibus in diphtongum coaleſcit, *yugo*, *mayor*, *ayudar*; & aliquando per ſe ſyllabam componere poteſt, ut in his participiis *Leydo*, *oydo*.

Ejuſmodi differentia etiam obſervatur à Gallis: Nam illorum *y* nunquam ſcribitur, niſi in fine dictionis, & medio inter duas vocales, *joye*, *monnoye*, *croyons*, *voyons*; alias ſi in ſimilibus ſcriberetur *j*, eſſet ambiguum, an hæc litera vocalis aut conſonantis naturam haberet.

Galli ſemper mutant *a* finale nominum Latinorum in *e*, papa *pape*, Europa *Europe*, Roma *Rome*, Maria *Marie*,

Epigramma

epigramma *epigramme*, quam Itali & Hiſpani retinere ſolent. Itali è contra Gallorum *e* ſæpiſſime mutant in *a*, chemin *camino*, encore *ancora*, ennuyer *annoiare*, guetter *guattare*, recommander *raccomandare*, guerir *guarire*: maxime interminatione infinitivorum primæ Conjugationis, parler *parlare*; penſer, *penſare*; arriver, *arrivare*: qua quidem mutatione etiam utuntur cum quibuſdam vocibus Latinis *v. g.* expectare, *aſpettare*; juvenis, *giovane*.

Item Itali mutant *u* Latinorum in *o*, populus, *popolo*; manus, *mano*; cornu, *corno*; multum, *molto*; mecum *meco*: & vice verſa *o* in *u*; occidere, *uccidere*; obedire, *ubedire*; officium, *ufficio*.

Præterea mutant *e* in *i*, inde, *indi*; deus, *dio*; meus, *mio*; defectus, *difetto*: maximè vocibus Gallicis incipientibus ab *im*, *in*, *re*, *des*, embaraſſer, *imbarazzare*; enſeingner, *inſegnare*; repoſer, *riposare*; desfaire, *disfare*. Et vice verſâ Latinorum *i* ferè ſemper mutant in *e*, ſilva, *ſelva*; lignum, *legno*; timere, *temere*; videre, *vedere*: Hiſpani è contrà *e* ſolent apponere dictionibus quibus Latini & Itali apponunt *i*, invidia, *embidia*; lingua, *lengua*; infirmus, *enfermo*; inganno, *engaño*; qua in parte cum Gallis ſat bene conveniunt, enſeingner, *enſeñar*; enuoyer, *embiar*.

Hanc ultimam vocalem nimirum *e* Galli & Hiſpani addunt vocibus, quas Latini & Itali incipiunt per *s* ſequente aliâ conſonâ, ſpiritus *ſpirito* eſprit *eſpiritu*; ſpes *ſperanza* eſperance *eſperança*, ſcribere *ſcrivere* eſcrire *eſcrivir*.

Hiſpani inſuper vocibus Latinis, Gallicis & Italicis interponunt vocalem *i* ante *e*, quando illud *e* inter duas conſonantes includitur, tempus *temps* tempo *tiempo*, terra *tierra*, ſeptem *ſiete*, parens *pariente*, centum *ciento*, lepus

pus *liebre*, semper *siempre.*

Parem rationem observant pro vocabulis, quæ includunt *o* inter duas consonantes; cui solent præponere *v*. sed prius mutant *o* in *e*, corpus, corps, corpo, *cuerpo*, mors *muerte*, pons *puente*, porta *puerta*, cornu *cuerno*, fortis *fuerte*, hospes *huesped*, noster *nuestro*, jocus *juego*. Quæ ambæ vocalium additiones etiam apud Italos sunt in usu, Petrus *Pietro*, lætus *lieto*, cæcus *cieco*, homo *huomo*, bonus *buono*, locus *luogo*.

Itali & Hispani Gallorum dipthongos ad simplicem vocalem ut plurimùm reducere solent. Galli è contrà omnibus ferè vocabulis quibus Latini, Itali, & Hispani, simplicem apponunt vocalem, unam aut alteram addunt, ut fiat diphtongus; adeò placet illis plurium vocalium concursus, amare *aimer*, amor *amour*, rex *roy*, pax *paix*, vox *voix*, piscis *poisson*; qua ratione mutant *o* Latinorum in *eu*, nominibus quæ desinunt in *or*, autor *auteur*, honor *honneur*, rumor *rumeur*, doctor *docteur*, pastor *pasteur*. Apud veteres verùm Gallos non erat adeò frequens diphtongorum usus, sed sæpius vocali utebantur simplici, pro quibus jam duplicem usurpare solemus, ut notat doctus *Pasquier* in suis disquisitionibus Galliæ, *Recherches de la France*; Et ipsemet legi *mult*, *Folque*, *lor*, *vos*, *aray*, *ama*, in historia *Pepini* & *Bertha* ab *Helinando* autore vetustissimo conscriptâ; quæ jam dicimus *moult*, *Foulque*, *leur*, *vous*, *auray*, *aimay*.

Utque faciliorem diphtongis aditum præbeant Galli, sæpius consonam ex medio rejiciunt, sic dicunt à bibere *boire*, laudare *loüer*, videre *voir*, fides *foy*, crudelis *cruel*, Augustus *Aoust*; ut etiam observant Hispani, legere *leer*, pecten *peyne*, maxime pro consona *d*; credere *creer*, laudare *loar*, videre *veer*, cadere *caer*, audire *oyr*, ridere *reyr*, judex *juez*, radix *rayz*, hodie *oy*.

Nec

Nec solùm hoc, sed ferè semper soliti sunt Galli voces Latinas contrahere, præsertim nomina; ita ut, quæ quatuor syllabis constant, ad tres reducantur; quæ tribus ad duas; quæ binis, ad unam, ut in his exemplis, Imperator *Empereur*, procurator *procureur*, salvator *sauveur*, piscator *pescheur*, caulis *chou*, clavus *clou*, clavis *clef*, caput *chef*, tempus *temps*, canis *chien*, corpus *corps*, lupus *loup*, burgus *bourg*, locus *lieu*, longus *long*, & similia.

Et tandem quia Itali omnia sua prorsùs vocabula in aliquam vocalem finiunt, ideo finales Latinorum & Gallorum consonantes rejicere solent, ut in istis Latinis, lumen *lume*, mulier *moglie*, novem *nove*, septem *sette*, forsan *forse*, mecum *meco*, versus *verso*; & Gallicis mais *mà*, assais *assai*, compagnon *compagno*, flascon *fiasco*. Vel vocalem addunt in fine, sum *sono*, sub *sotto*; maximè vocibus quas cum Gallis communes habent, hier *hieri*, demain *domani*, grand *grande*, poltron *poltrone*, ut sunt infinitivi desinentes in *er* & *ir*, quibus addunt *e*: trouver *trovare*, chercher *cercare*, venir *venire*, partir *partire*.

De Consonantibus.

Itali, Latinorum & Gallorum, *c* sæpius mutant in *g*, locus *luogo*, lacus *lago*, lachrimæ *lagrime*, chat *gatto*, crier *gridare*: Sed de hac re vindictam sumunt Hispani, & illorum *c* iterum mutant in *g*. *Secondo* segũdo, *amico* amigo, *cieco* ciego, *alcuno* alguno: & aliquando *c* Latinorum mutant in *z*, dicere *dezir*, facere *hazer*; sicut etiam nominum *x* finale, judex *juez*, pax *paz*, vox *voz*, crux *cruz*, radix *raiz*.

Hispani *b* & *v* consonam solent confundere; & illis indifferenter utuntur, *savana* vel *sabana*; *savio* vel *sabio*.

Hac in parte imitantur illos nostri Vascones seu Gascones Galliæ, & Languedochi ut Tolosani, Narbonenses, Monspellienses & Nemeti, quibus adeo familiaris est prolatio *b*, ut vix *v* consonam pronunciare queant, *v g. vostre valet*, proferunt ac si esset scriptum, *bostre balet*. Si tamen sequitur una ex liquidis *l* aut *r*, tunc Hispani scribunt *b* & nunquam *u*, *hablar, hombre*, non *haular, homure*; nam inde sequeretur incommodum, & in simili casu *v* posset accipi tanquam vocalis.

Apud Italos autem consona *v* tenet locum *b* Latinorum inter duas vocales, diabolus *diavolo*, Tiberis *Tevere*, fabula *favola*, habere *havere*, scribere *scrivere*, bibere *bevere*; & etiam apud Hispanos, ut in superiorioribus verbis *haver, escrivir, bever*; maximè vocibus quas cum Gallis communes habent, descouurir *descubrir*, achever *acabar*, envoier *embiar*, aviser *abisar*, poure *pobre*, lieure *liebre*: id quod similiter observant pro Latinorum & Italorum *p*, cooperire *coprire* cubrir, capilli *capegli* cavellos, opus *opera* obra, supra *sopra* sobre.

Hispani etiam ut plurimùm confundunt *j*, scilicet Jota, & *x*, & aliquando *g*: maximè quando collocatur ante *e*, ut apparet ex hoc nomine, *Tijeras, Tixeras, Tigeras*; quod vel *j*, vel *x*, aut *g*, indifferenter scribi solet. Et sæpissimè altera alterius locum occupat, ut patet ex verbis *escoger escogo, dezir digo, traer traygo*, quibus *g* indicativi mutatur in *j* & *x*, pro optativo *escoja, dixera, truxera, dixesse, truxesse*, & etiam in Aristo *dixe, truxe*. Item nominibus in *x*, quæ in plurali mutant *g* in *x*, *relox reloges, carax carcages*. Præcipuè verò *j* & *x*, sæpe ad libitum ponunt, sicut *b* & *v*, *pajaro paxaro, travajo travaxo*. Neque mirum, quandoquidem ambo & etiam *g* ante vocalem *e*, eandem fere pronunciationem habeant, quamvis Hispalenses & alii Andalusiæ populi, sicut Granatenses

natenſes & Murciani admittere videantur, de qua re poteris conſulere *Salazar*, in ſuis Dialogis *De la Grammatica*, Gallico & Hiſpanico conſcriptis Idiomate.

Hiſpani in principio dictionis ferè ſemper mutant *f* Latinorum, Gallorum, & Italorum in *h*, fames, *faim*, fame, *hambre*; filius *hijo*, ferrum *hierro*, fumus *humo*, fatum *hado*, facere *hazer*, fuir *huir*.

Latinorum & Gallorum *l* quando ab alia præceditur conſona, apud Italos mutatur in *i*, Templum, temple, *tempio*, flumen *fiume*, planctus *pianto*; blanc *bianco*, blond *biondo*: Sed ſignum aſpirationis interponunt, quando dicta liquida præceditur à *c* aut *g*; clamare *chiamare*, clavis *chiave*, glacies *ghiaccio*, glouton *ghiotto*, Angleterre *Inghilterra*.

Similibus vocibus apponunt Hiſpani geminam *ll*, ut ſuperiùs oſtendimus; ſed ſi liquidam *l* quam Itali mutant in *j*, antecedit vocalis *u* precedente *c*; quibus etiam Itali reſcindunt *u*, Hiſpani loco *l*. ſubſtituunt *j* longum, oculus, *occhio*, *ojo*; ſpeculum, *ſpecchio*, *eſpejo*; pediculus, *pidocchio*, *piojo*; auricula, *orecchia*, *oreja*.

Eadem conſonâ etiam utuntur loco *l*, inter duas vocales poſita, conſilium *conſejo*, filius *hijo*, melior *mejor*; quibus Itali ſolent interponere *g*, ad mitigandum ſonum, *conſiglio*, *figlio*, *moglie*, *meglio*. Nec non pro duplici Gallorum *ll*, Pareille *pareja*, oreille *oreja*, aiguille *aguja*, travailler *travajar*. Et aliquando Latinorum *j* conſonam mutant in *y*, jam *ya*, major *mayor*, jejunus *ayuno*, jugum *yugo*, jacere *yazer*.

Italis familiare eſt Latinorum *t* in *d* mutare, pater *padre*, mater *madre*, latro *ladro*, ſcutum *ſcudo*: ſed Hiſpanis fere ſemper uſitatum, & litera *d* illis quaſi videtur eſſe peculiaris; Petrus *Pedro*, vita *vida*, totum *todo*, ſalutare *ſaludar*, petere *pedir*: maximè nominibus Latinis, quorum

rum Ablat. desinit in *te* precedente vocali, abas *abad*, hospes *huesped*, paries *pared*, salus *salud*, virtus *virtud*; ut sunt omnia fœminina in *at*, ætas *edad*. auctoritas *autoridad*, veritas *verdad*. Quam terminationem etiam sequuntur Itali, potissimùm Poëtæ, *etade*, *autoritade*, *veritade*, *libertade* : Verùm Prosatores lubentiùs rejiciunt ultimam syllabam, & *à* finale gravi notant accentu, *età*, *autorità* : ut etiam observatur à Gallis, mutatâ nimirum Italorum *à* in *é* mascul. *auctorité*, *verité*, *liberté*.

Galli & Hispani *d* commune habent pro nominibus fœmininis in *ade*; bravade *bravada*, salade *ensalada*, serenade *serenada* : Itali verò mutant *d* in *t*, *bravata*, *insalata*, *serenata*.

Si autem Latinorum *t* præceditur à consona, maximè *c* aut *l*, tunc Hispani eorum loco aspirationem ponunt, pectus *pecho*, nocte *noche*, octo *ocho*, dictum *dicho*, factum *hecho*, multum *mucho*, auscultari *escuchar*. Sed illud servant nominibus in *or*, doctor, pictor, quæ etiam sunt Hispanica.

Verùm si illud Latinorum *t* præceditur ab *i*, quod à Latinis proferatur sicut *c*, tunc mutant *t* in *c*; *gracia*, *intencion*, *lecion*, *vigilancia*, *diligencia* : quibus Itali apponunt *z*, maximè nominibus in *antia* & *entia*, *vigilanza*, *diligenza* : quod quidem *z* à Gallis mutatur in *c*, *vigilance*, *arrogance*, *diligence*, *prudence*, Hispanorum more.

Neque hic pretereunda Italorum *s* peculiaris quædam proprietas quæ nimirum simplicibus præfixa vocibus negationem importat, ac inseparabili Gallorum & Hispanorum præpositioni *des* æquivalet, ut in his verbis *coprire*, couvrir, *cubrir*; *scoprire*, descouvrir, *descubrir*; *caricare*, charger, *cargar*; *scaricare*, descharger, descargar. Neque solùm hoc, sed generatim loquendo primitivis quibus-

quibuſcumque præpoſita ſignificationem poteſt immutare, ut ex ſequentibus perſpici poteſt, *fortunato, ſfortunato*; *convenevole, ſconvenevole*; *propoſito, ſpropoſito*; *conoſcente, ſconoſcente*; *corteſe, ſcorteſe*; & generis ejuſdem quamplurimis: vel ſaltem ſignificationem intendit, *v. g. crollare* ſignificat concutere, *ſcrollare* fortiter & cum violentiâ concutere; *compartire* dividere; *ſcompartire*, exactè & minutim dividere.

Cæterùm Hiſpani nullam prorſus duplicant conſonam præter *l* & *r*; Galli verò & Itali ſæpiſſime, ac duplici potiſſimùm ratione: primò ut vocabulorum extollant ſonum, qui aliàs ſine ejuſmodi duplicatione eſſet nimis humilis & remiſſus. Secundò, ut auferatur æquivocatio & ambiguitas vocum, quæ propter ſimilitudinem ſæpius ſolet occurrere, *v. g.* in his Gallicis, *deſert, deſſert*; *couſin, couſſin*; *poiſon, poiſſon*; *Mary, Marry*: & Italicis, *ſono, ſonno*; *dono, donno*; *polo, pollo*; *copia, coppia*; *caro, carro*; *caſa, caſſa*; *conteſa, conteſſa*; *peto, petto*; *fato, fatto*; *ſete, ſette.*

Accentuum variatio & neceſſitas.

HIſpani unicum ſolùm agnoſcunt accentum, ſcilicet, acutum: & illum fere numquam notant, niſi in vocibus, ubi poteſt eſſe æquivocatio; ut in Futuris Indicativi, & Subjunctivi, maxime pro prima conjugatione; & tunc ſcribunt accentum in ultima, quando videlicet eſt futurum Indicat. *Amaré, cantaré, hablaré*: In penultima verò, quando eſt Subjunct. *Amáre, cantáre, habláre.*

Itali acutum & gravem recipiunt. Gravis locum habet in 1ª & 3ª Futuri, *Penſerò penſerà, udirò udirà.* In 3ª

perſona

persona Aoristi primæ & tertiæ Conjugationis, *Amò, cantò, morì, dormì.* Necnon in prima ejusdem temporis 3. ordinis, si in simplicem vocalem desinat, *aprì, sentì, partì.*

Item nominibus in *u* apponitur gravis, *Giesù, virtù, Perù.* Fœmininis in *a*, iis videlicet, quæ veniunt à Latinis in *as*, quorum Genitivus desinit in *atis*, penultima longa, tempestas *tempestà*. libertas *libertà*: quæ ut plurimùm acuto Galli notare solent, *liberté, chasteté.* Ac tandem Monosyllabis. *rè, pò, hò, fò, vò, fè, mà, sù, giù,* & aliis ejusdem generis.

Acutum verò solummodo notant ad vitandam æquivocationem, *v. g.* in tertia plurali Aoristi primæ & tertiæ Conjug. quando nimirum ultima truncatur Syllaba, ut sæpius solent observare Poëtæ: *Amáro, cantáro, fuggíro, moríro*; pro *Amarono, cantarono, fuggirono, morirono*: ut videlicet à prima futuri possit dignosci, quæ accentum gravem recipit. Sanenses tamen & Romani, & alii, qui linguæ suavitati student, mutant characteristicam *a* in *e*, pro Futuro primæ Conjugationis; *Amerò, canterò, parlerò*; & sic nullus æquivocationi datur locus.

In participiis similiter truncatis primæ Conjugationis, *cérco, désto, caríco*; ad differentiam tertiæ Aoristi, quæ gravi notatur, ut suprà diximus: Nec non primæ præsentis *cerco, desto,* quod nullum prorsus accentum recipere solet. Ac deinde in omnibus, quibus ob similitudinem vocis aliqua potest interesse ambiguitas, ut in his dictionibus, *ferita, gia*; quæ si notentur acuto, *feríta, gía*; prima erit, *cicatrix* aut *læsio*: Secunda Imperfectum Poëticum verbi *gire*: Si autem adsit gravis, *ferità, già*; Latinorum nomen *feritas*, & Adverbium *jam*, significabunt.

Galli præter supradictos accentus tertium admittunt, qui ferè circumflexo Græcorum respondet; similique notatur charactere ^.

Gravis

Gravis ſcribitur ſuper quaſdam particulas; ut *çà, deçà; là, delà*; ut videlicet differant ab Articulis *la, dela.* à, quando eſt Præpoſitio, ut dignoſci poſſit à tertia verbi auxiliaris, *Ila.* *Où*, Adverbium loci, ad differentiam Conjunctionis disjunctivæ *Ou:* & quædam aliæ.

Acutus locum habet in penultima Adverbiorum in *ément, commodément, ſeparément, aiſément*: Nam ſi omitteretur accentus, ſequeretur penultimam eſſe brevem, æquè ac in iſtis; *ſainctement, facilement.* Item in penultima nominum fœmininorum in *ée*: *armée, eſpée*; ut ſunt voces ſecundi generis Adjectivorum aut Participiorum in *é* etiam cum accentu, *aimé aimée, zelé zelée.* Et generatim apponitur omnibus, quæ in *é* maſcul. deſinunt; *curé, aiſné puiſné, liberté, verité:* Recentioréſque ſæpiſſimè hunc ſubſtituunt accentum in locum *ſ* ante aliam conſonam, *v. g. émouvoir, méme*; quæ vetus & quidem vera orthographia dicit, *eſmouvoir, meſme.*

Notatur etiam diſcriminis cauſâ, ut in Præpoſitione *Dés*, quæ Latinis ſonat *Ab*, ut nimirum differat ab Articulo plurali *des.* In Articulo plurali dativi caſûs *és*, ut à ſecunda auxiliaris ſubſtantivi dignoſci queat, *Je ſuis*, *Tu es.*

Tertius accentus penultimam Adverbiorum in *ûment* notat, *ingenûment, continûment.* Et uſus jam illi locum aſſignavit in ultima Participiorum in *eu*; quorum diphtongum recentiores reducere ſolent ad ſimplicem vocalem, cum ſimili accentu, *j'ay peu, j'ay pû, j'ay congneu, j'ay congnû.* Tandem differentiæ gratiâ ſcribi poteſt *v. g. Pâris*, nomen proprium viri, ad differentiam *Paris*, quæ eſt Civitas.

Hic addere poſſumus duplicem Gallorum notam, quas vocant Conjunctivam & Disjunctivam: Conjunctiva eſt lineola recta, quæ copulat duas voces in unam coëuntes,

tranche-

tranche-plume, passe-temps. Scribitur quoque ante Pronomen *Il* & *Elle*, quando nimirum verbum quod præcedit, finit à vocali, *a-il del'argent, l'aima-elle*; quo in casu magis mihi arridet lineola, quam interpositio *t, at' il del'argent, l'aima t'elle*; ut quidam volunt.

Disjunctivam nominant duo puncta, quæ tribus potissimum vocalibus superponi solent, nimirum *e, i, u.* Quando super *e* & *i* apponitur, signum est quòd similis vocalis peculiarem constituit syllabam, *nuë*, nuda; *haïr*, odio prosequi. Posita verò super *u* indicat hujusmodi literam esse vocalem, & non consonam; *loüer*, laudare; *joüir*, frui: & graviter errant qui in posteriori vocali illa duo puncta notari volunt, *louër, jouïr.*

De vocibus truncatis, ubi de Apostropho.

HIspani Apostrophum non admittunt, neque ullam prorsus patiuntur Apocopen, præter in his paucis: Adjectivo *Bueno*, & numerali *Ciento*, Substantivo alicui antepositis, quorum primum finalem amittit vocalem *buen hombre, buen cavallo*; idque solum pro genere masculino numeri singularis; Alterum syllabam integram, *cien hombres, cien mugeres, cien ducados.*

Similem Apocopen recipit adjectivum *grande* ante substantivum inchoatum à consona, *gran tiempo, gran vellaco. Tanto, quanto,* etiam posteriori mutilantur syllabâ, quando præponuntur Adjectivo vel Adverbio, *tan bueno, tan grande, tan tarde, tan de mañana*; *quan mal parece essa color*; *quan bien lo haze v. m.* Et aliquando ante substantivum, ut in hoc exemplo, *tan puta vieja era tu madre como yo*: Sed integrè sunt proferenda ante Comparativa *mayor, menor, mas, menos*; *quanto mayor*

es

es la fortuna, tanto menos es ſegura.

Item poſſeſſivum fœmininum *vueſtra*, in hac locutione, *vueſa merced*: Et ſecundæ plurales futuri ſubjunctivi, quæ ſæpe amittunt penultimam *e*, *Amaredes amardes*, *uvieredes uvierdes*, *fueredes fuerdes.*

Galli quæ vocabula truncant id per Apoſtrophum præſtare ſolent, ut ſunt ferè omnia monoſyllaba, *je, me, te, ſe, de, ne*; *j'avois, il m'adit, &c.* Poſſeſſiva generis fœminini, *ma, ta, ſa*; ante hæc duo nomina, *amie, amour*; *m'amour, m'amie*: Particula conditionalis *ſy*, ſequente *il, ils*; *le, la*; & quando ſunt Articuli, & quando Relativi; *L'homme, l'ame, del'ame*; *je l'aimeray, je l'ameneray.* Si tamen *le* & *la*, poſt Imperativum ponuntur, integrè ſcribenda ſunt, *faictes le accommoder comme il faut*; niſi ſubſequatur una ex Relativis *y*, vel *en*; *factes l'y entrer, je l'en feray repentir.* Si autem monoſyllaba accentu notantur, tunc eliſio non habet locum.

Item Pronomina, *chaſque, quelque* patiuntur Apoſtrophum, *chaſqu'homme, quelqu'un, quelqu'autre.* Præpoſitio *juſque*, ante Articulos & Adverbium locale *icy*; *juſqu'aupoinct dujour, juſqu'à paſques, juſqu'alaſaint Jean*; *juſqu'icy.* Sicut etiam *contre* & *entre*, quando nimirum cum verbis ſunt compoſita *contr'eſchanger, s'entr'ayder, s'entr'aimer, entr'ouurir.*

Aliquando etiam Apoſtrophum admittunt Galli, quamvis præcedens dictio finiatur per conſonam, & ſequens etiam incipiat à conſona, ut in iſtis exemplis, *bevez dict ell' ce reſte*; *ell' ont vos noms ſur le front*; *dieu te gard' mon amy*; *grand' feſte*; *jete pri' reſpons moy*; *A'vous point veu ceſte beauté? ſça' vous quand ceſera*, & ſimilia quæ Poëtis magis conveniunt, quàm Oratoribus.

Itali duplici modo ſua vocabula truncare ſolent, vel ſine Apoſtropho; vel cum Apoſtropho, quæ ad majorem faci-

facilitatem duabus sectionibus nobis sunt explicandæ.

Truncata Italorum sine Apostropho.

VOces quæ cum vocali recipiunt unam ex liquidis *l, n, r,* in terminatione, vocalem finalem amittunt, si dictio sequens incipiat à consona; *Qual passion potete stimar chesia di servir senza speranza d'ottener maj la desiata libertà?* Sed hæ sunt adhibendæ præcautiones.

1° Si vox quæ est truncanda sit nomen debet esse numeri singularis. 2° Si illud nomen sit fœminini generis non debet terminari in *a.* 3° Debet fieri in sequela commatis aut versûs, & non in fine. 4° Ut dictio sequens non incipiat ab *ſ* sequente aliâ consonâ. Postremò tandem ut ipsa liquida sit simplex, hoc est nullâ aliâ præcedente consonâ: Nam si ex his conditionibus aliqua desit, elisio non habet locum.

Verum ab ultima lege, quæ liquidæ simplicitatem expetit, excipiemus, primo Infinitivos in quibus duplicatur *r*, qui ultimam amittunt syllabam, *Tor via, condur l'essercito*; & ejusmodi Infinitivi quorum numerus valdè exiguus est, jam semel passi sunt rescisionem syllabæ; *ponere porre, conducere condurre, togliere torre, sciegliere scierre.* 2. Tertiam pluralem primi præsentis verborum monosyllaborum, quæ etiam aliquando ultimam amittunt syllabam, *Stan giocando, han fatto ogni diligenza per trovarlo.* 3 Adjectiva *bello, quello, bel fanciullo, quel cavallier cheviene:* quæ quidem in plurali similiter truncantur *belli, bei; quelli, quei;* & ad unicam reducuntur syllabam per Apostrophum *be', que'.* Quæ ratio etiam valet pro Pronomine *Egli*, de quo dicimus *ei. e'*: & aliquando solum *e* rescindimus, *guardate come gli è bellino.*

Hanc

Hanc ultimam Apocopen obſervant Poëtæ pro quibuſdam nominibus, *v. g. Capegli, capei, cape'; Augelli, augei, auge'; lacciuoli, lacciuo'; animali, animai, anima'; cavalli, cavai, cava'; cinghiali, cinghiai; raggi, rai;* & quædam alia, quæ notavit Scipio Lentulus.

Item Poëtæ ſolent elidere vocalem poſt *m*, *à gran ſperanza huom miſero non crede. Perche ad uno ſcoglio hauem rotta la nave.*

Singularia, *Prode, Frate, Santo,* ante conſonam ultimâ truncantur ſyllabâ, *pro della ſua perſona; Fra Giacomo; San Pietro*: cum Adjectivo, *grande*, pro utroque numero, *gran piacere, gran dolori.*

Poſſeſſivum *voſtra*, ante *Signoria* ultimam amittit ſyllabam *vo Signoria*; id quod etiam fuit receptum à veteribus Gallis ut in hoc verſu Helinandi, Poëtæ antiquiſſimi, *Dame per Diex de vo fille me plain.* Demonſtrativum, *Queſta*, è contrà primam ſyllabam amittit ante *notte, ſera, mane*, aut *mattina*; *ſtanotte, ſtaſera, ſtamattina.*

Poſſeſſiva, *mio, tuo, ſuo*, cum fœmininis aliquando primâ mutilantur vocali, *padremo, madrema, fratelto, ſignorſo*; quibus ſæpiùs utitur Petrus Aretinus: Sed tunc ſemper poſtponi debent nomini, & cum eo immediatè jungi. Etiam apud Poëtas ultimam amittunt per Apoſtrophum, *mi', tu', ſu'*; & in plurali, *vo', tuo', ſuo'*, pro *voſtri, tuoi, ſuoi*: quâ ratione etiam reſcindunt ultimam vocalem perſonalis *Jo, j' dicea frà mio cor perche paventi?*

Etiam verba Apocopen patiuntur, in præſenti, ut *vo', voglio; ſo', ſono; puo', puoi; ſuo', ſuoli; ſe', ſei.* In Imperfectis, *haveva havea, diceva dicea, haverei, havrei,* & *harei.* In Futuro, *haverò, haurò, harò; tenerò, terrò; venirò, verrò.* In Aoriſto *ſtetti, ſtei; ſtette, ſtè; feci, fei; fece, fè* & *feo*, poet: *furono, furo, amarono, amáro: dor-*

 mirono,

mirono, dormíro. In Participiis denique primæ conjugationis, *cercato cerco, usato uso, destato desto, guastato guasto.*

Nec non extenditur ad partes indeclinabiles, ut in Præpositione *verso, ver; inverso, inver: v', pro ove, v' son le mie speranze; pria* pro *prima*, & quædam alia.

Truncata Italorum cum Apostropho.

OMnes particulæ sequentes, *mi, ti, si, ci, vi, di, se,* Apostrophum patiuntur ante vocalem; quibus addere possumus *che:* sed rescindenda est aspiratio, si dictio sequens iterum ab aspiratione incipiat, *Di quei c' hanno per lei piagato il cuore.*

Præpositiones *per, con,* cum Adverbio negativo *non,* amittunt ultimam consonam ante *il,* vel *lo*, quæ ultimæ in simili casu etiam suâ mutilantur vocali, & in unam coëunt syllabam: *Come cascano le mandroline pel freddo; picciola è l' ape, e fà col picciol morso pur gravi e pur moleste le ferite: Nol potè mai conseguire.* Et aliquando supradictæ Præpositiones, sicut etiam, *ne,* Articuli masculini locum occupant, ante nomina pluralis numeri, quæ incipiunt à consona, *pe' piani, co' prencipi, co' signori, ne' paesi, ne' regni,* & ejusdem generis alia.

Præpositio, *in,* suam amittit vocalem post dictionem, quæ finit à vocali, *viver in altri e'n se stesso morire:* quâ ratione Poëtæ ut plurimum elidunt vocalem vocibus, quæ incipiunt ab *im,* aut *in, lo'mperadore. gli'mperadori; ne di ciò gli'ncrebbe: E sol la'ngratitudin vostra è quella; questi ne'nsegna sol ne le sue scuole, fedeli inganni e lealt à perversa.* Verùm in oratione solutâ Apostrophus rotari debet in prima, *l' intelletto, l' ingratitudine, gl' inganni.*

Articuli *lo*, & *la*, per Apoſtrophum vocalem amittunt ante vocalem; idque ſolùm in ſingulari numero, non autem plurali, niſi poſt *gli*, ſequatur nomen, quod iterum ab *i*, ſit inchoatum, *gl' ingiuſti, gl' imperadori.*

Etiam Apoſtrophus habet locum in Articulis obliquis *Dei, ai, dai; de', a', da'*; ad vitandum videlicet plurium vocalium ejuſdem naturæ concurſum, *de' padroni, a' Signori, da' Prencipi.*

Il, poſt vocalem ſimiliter amittit vocalem, *Se 'l fugitivo mio quà giù ſi troua; Che di noſtra natura 'l feò tiranno:* & in unam coaleſcit ſyllabam ſine Apoſtropho cum particulis pronominalibus *me, te, ſe, ce, ve, ne*; hoc modo, *mel, tel, ſel, cel, vel, nel.*

Adverbium *Meglio*, à Poëtis ſæpiùs in unam reducitur ſyllabam per Apoſtrophum, *Me' v'era che da voi foſſe 'l difetto.* Et particula Relativa *ne*, ante conſonam ab illis ſæpe ſuâ mutilatur vocali, *Non già perche ſen' corſe il fiume di latte.*

Denique obſervandum Apoſtrophi notationem, ut & aliorum accentuum, plurimùm juvare ad diſtinguendas voces quæ alias eſſent pares, *me'*, *meglio*; & ſi omitteretur Apoſtrophus, eſſet particula Pronominalis *me. E' egli*, ad diſtinctionem Copulativæ *e.* & tertiæ perſonæ auxiliaris *è*, quæ gravi afficitur. *Ne'*, quæ vices gerit Articuli *nej*, ut dignoſcatur à Disjunctiva, *nè*; *nec*, quæ gravem admittit, & Præpoſitione aut Relativa *ne*, quæ ſimpliciter ſcribitur: & ſic de aliis quamplurimis idem judicium ferendum eſt.

Articulorum uſus & differentia.

ANtequam Nomen, primam & quidem eſſentialem Orationis partem, explicandum aggrediamur, priùs nobis declarandi ſunt Articuli, ſeu ſigna; quibus natura nominum & genus ſolet dignoſci. Sed quia ſolummodo duo recipiunt genera, *Galli, Itali,* & *Hiſpani,* maſculinum ſcilicet & fœmininum; Ita nec plures Articulorum ſpecies agnoſcere volunt: *Hiſpani* tamen tertium admittunt, ut infrà oſtendemus. Omnium ſequitur inflectio.

Gallici.		*Italici.*			*Hiſpanici.*		
M.	*F*	*M*	*M*	*F*	*M*	*F*	*3. Art.*
Le	*La*	*Il.*	*Lo*	*La*	*El.*	*La*	*Lo*
Du	*Dela*	*Del.*	*Dello*	*Della*	*Del.*	*Dela*	*Delo*
Au	*Ala*	*Al.*	*Allo*	*Alla*	*Al.*	*Ala*	*Alo.*
		Dal.	*Dallo*	*Dalla*			
Les					*Los*	*Las*	
Des		*I*	*Gli*	*Le*	*Delos*	*Delas*	
Aux		*Dei*	*Degli*	*Delle*	*Alos*	*Alas*	
		Ai	*Agli*	*Alle*			
		Dai	*Dagli*	*Dalle*			

Hac in parte duabus aliis fœcundior eſt *Italica*, eò quòd habeat voces & ſigna peculiaria pro ſingulis obliquis; *Galli* verò & *Hiſpani* tres tantùm recipiunt voces, Genitivum & Ablativum exprimere coacti uno eodemque ſigno: Sed *Galli* minùs copioſi, utpote qui unico gaudent Articulo pro plurali utriuſque generis. Et generaliter loquendo ditiores cenſeri debent *Hiſpani*, quia nempe tertium Articulum habent, idque ſolùm pro numero

mero ſingulari: Cui quidem Articulo neutrius qualitatem tribuere poſſumus, cum ſit peculiare Adjectivis Subſtantivè & neutraliter ſumptis, *Lo bueno, lo malo, lo mejor, lo mucho.*

Itali præterea pro primo genere duplicem recipiunt Articulum, quorum tamen diverſum eſt munus; Primus à ſiniſtro latere præponitur nominibus quæ incipiunt à conſona, *Il Rè, Il Signore, Il Prencipe:* Alter incipientibus à vocali, vel *ſ*, ſequente aliâ conſonâ, *L' amore, lo sdegno.* Cujus etiam uſum Florentini Sanenſes, & alii Hætruriæ populi admittunt poſt Præpoſitionem *per*, quamvis à conſona nomen ſequens incipiat, *per lo tempo, per lo ſervitio:* Sed in ſimili caſu Romani utroque utuntur indifferenter, & recentiores lubentiùs primum uſurpant, ut *Gabrieli* & *Viſdomini.*

Galli verò & *Hiſpani* pro his duobus nominum generibus unicum agnoſcunt Articulum; quem quidem defectum ſupplent, ſed contrario modo: *Galli* pro maſculinis quæ incipiunt à vocali articulum fœmininum aſſumunt, *l'eſprit, de le'ſprit, a l'leſprit*; *l' homme, de l'homme, a l'homme*; modò tamen reticeatur aſpiratio, quæ in capite vocis occurret: nam ſi aſpiretur, primo utendum erit Articulo, *v.g. Le haure, du haure, au haure.* Hiſpani è contrà pro fœmininis à vocali incipientibus Articulum maſculinum uſurpant, *el agua, el ama de caſa:* Sed hoc ſolùm habet locum ante *a*, & non ante aliasvocales, quibus Articulus fœmininus præponi debet, *la embidia, la yglesia, la honrra*; & tiam quando aſpiratur *h* ante *a*, *la hambre.*

Supradicti omnes Articuli à Grammaticis vocantur *majores*, ſeu *definiti*, eò quòd definiant & determinent nomen, ejuſque ſignificationem certis quibuſdam limitibus circumſcribant. Verùm inventæ ſunt aliæ particulæ,

quas *Articulos minores*, seu *indefinitos* vocant, pro iis scilicet quibus prohibitus est *definitivorum* usus; aut quia sunt Propria Virorum, Mulierum, Urbium, &c. vel nomina communia indeterminatè sumpta, *v.g.* quando hac locutione utimur, *La maison du Roy*, *la casa del Rè*, *la casa del Rey*; aliquem particularem determinamus Regem, vel Angliæ, vel Hispaniæ, vel Daniæ, ad quem illam domum spectare demonstramus: sed quando dicimus *Alexandre est Roy*, *Alessandro è Rè*, *Alexandro es Rey*; innuimus Alexandrum esse Regem, sed indeterminatè & generaliter, & quantum *Regis* significatio potest extendi, non definiendo an Alexander sit Rex Macedoniæ, vel Indiæ, vel fabæ. Articuli minores ex sequentibus quinque dependent particulis.

Di , *De.*
A *A.*
Da.

Quarum tres primæ, à sinistro scilicet latere, Italicæ inserviunt linguæ; *Pietro*, *di Pietro*, *a Pietro*: Cæteræ Gallis & Hispanis sunt communes, sicut etiam conveniunt simul, quoad *definitum* singularem generis fœminini, de qua convenientia summopere miror, & nescio quis bonus genius illos adducere potuit, ut hac in parte tam conformes essent.

Peculiares quædam de Articulis observationes.

1° OBservabis Italos contra usum Gallorum & Hispanorum Articulum definitum sæpissime tribuere nominibus propriis Mulierum, ut optimè notârunt *Jacobus Pergamini*, & *Joannes Bembo*; similibúsque locutionibus sæpius usi sunt *Boccatius* & *Aretinus*, *La Lisetta*, *la*

la Isabella, la Antonia, la Nanna, l'uno della Maddalena, l' altro della Susanna, s'inamorarono. Hoc etiam observant Galli pro nominibus quarumdem Sanctarum, *v.g. la Magdelaine, la Veronique:* maximè ante familiarum agnomina, apud quos Articuli tum *majores*, tum *minores*, cognominibus sic præfixi, signum honoris sunt, & quasi Nobilitatis Encomium, *Jacques du Perron, Alexandre de Nogaret, Loüis de la Curée.*

2° Hispani Dativ. pro Accus. frequenter usurpant, *Guarde Dios à v.m. mañana le tengo de embiar a mi criado:* eodem modo, quo Galli Genitivum pro Accus. solent admittere, *Donner des bourdes en payement*; maximè quando partem ex toto descerptam volunt exprimere, *Donnez moy du pain, versez moy de la biere, prestez moy de l' argent:* quâ in constructione sat benè conveniunt cum Italis, *Datemi del vino, &c.*

3° Gallorum Genitivus tenet aliquando locum Nominativi, *je ne croy point que des corps si bien complexionnez, se puissent jamais mal porter*: nec non Dativi, præponendo scilicet Articulum Indefinitum, *Prenez vous garde a des enfans*; *j'ay afaire a du monde, qui me faict damner*; *c'est perdre le temps de parler a des sourds.* Hæc luculenter tractat *Daniel Martinus, Anthonius Qudin in sua Analogia Grammatices ad recens idioma*, & nuperrimè noster *Du Gres* in suo Compendio.

DE NOMINE.

Terminationes Nominum in communi.

OMnia *Italorum* nomina desinunt in unam ex quinque vocalibus; quarum tres solummodo hic sunt considerandæ, nimirum *a, e, o:* Nam quæ in *i*

aut *u* finiunt, ſunt indeclinabilia, & nulla prorſus utrumque numerum recipere poſſunt, præter hæc pauca; *virtù, ſervitù, gioventù, grù*; Adjectivum *pari*, & Subſtantivum *dì*, cum ſuis compoſitis, *Lunedi, Martedi, Mercordi, Giovedi, Venerdi*.

Ex tribus vocalibus, quibus Italica nomina terminare præcipuè incumbit; *O*, peculiaris eſt nominibus maſculinis, qua in re cum Hiſpanis prorſus conveniunt; nec apud hos, nec apud illos ejus terminationis nomina ſub genere fœminino reperiuntur, præter unum ſolum *La mano*, Italis & Hiſpanis commune; cui addunt Hiſpani, *La nao*, navis.

Quæ deſinunt in *a*, fere omnia ſub ſecundo continentur genere. *La chieſa, la ſtrada, la tavola*: etiam apud Hiſpanos, *la caſa, la ygleſia, la meſa*.

Tertia verò quæ eſt *e* apud illos, & apud Gallos utrique inſervit generi *Il padre*, el padre, *le pere*; *la madre, la madre, la mere*.

Verùm *Italos* ſuperant *Hiſpani* in terminatione nominum, nam præter vocales adhuc ſeptem recipiunt conſonas, *d, l, n, r, s, x, z*; ut ſequentia *Merced, caracol, meſon, muger, Dios, relox, juez*. Vocales, quibus utuntur, *a, e, o, y*; In *i*, neque in *u*, nulla reperiuntur præter *maravedi, eſpiritu*; & quædam propria, ut *Potoſi, Corfu, Peru*, & ſimilia.

Galli autem his & illis ſunt ſuperiores; præter enim ſeptem conſonas, quas *Hiſpani* recipiunt, cæteras omnes in terminatione nominum admittunt; nec non aſpirationem, ſed cum conſona junctam, *v.g. Almanach, eſtomach, luth*; & pœne infinita quæ deſinunt in *Diphtongos, Triphtongos* & *Quadriphtongos*, ut ſunt, *May, feu, chou, foy, folie, ſangſue, oiſeau, pluye, playe, proye, joüe, Dieu, voeu, queüe, lieüe*.

Quod

Quod verò ad vocales spectat sunt inferiores, nam à terminatione nominum *a* & *o*, prorsus excludunt, nisi in Pronominibus Possessivis, *ma, ta, sa*: & tertiam, quæ est *i*, ut plurimùm rejiciunt; hæc siquidem vocalis propriè locum non habet in fine dictionis, sed ejus vices gerit *y*, *Amy*, *favory*, *Lundy*, *Mardy*.

Verùm sub *e* duo genera nominum comprehenduntur; Alia finiunt in *e* Fœmininum, *homme*, *femme*; alia in *é* Masculinum, hoc est, notatum accentu, *abbé*, *curé*, *honnesteté*, *auctorité*. Hæc postrema nomina *Itali* terminant in *à*, etiam cum accentu, ea nimirum, quæ veniunt à Latinis in *as*, generis Fœminini, ut suprà diximus, *Città, verità, autorità*: Hispani in *d*, *Ciudad*, *verdad*, *autoridad*.

Numeri Pluralis formatio.

ASsignata *Numeri Singularis* terminatione, jam præscribam modum observandum in formatione *Pluralis Numeri*. Numerus Pluralis Italorum desinit semper in *i*, *Papa papi*, *diadema diademi*, *padre padri*, *madre madri*, *fratello fratelli*, *fuoco fuochi*, *luogo luoghi*, *savio savi*, *mano mani*: Præter Fœminina in *a*, quæ semper mutant *a* in *e*, *Camera camere*, *Sorella sorelle*: Et quædam Masculina in *o*, quæ ultra terminationem regularem, secundam admittunt in *a*, generis fœminini apud probatos Auctores alterâ ferè usitatiorem, *Legno i legni*, *le legna*; *dito*, *braccio*, *calcagno*, *osso*, *riso*, *membro*, *corno*, *ciglio*, *labbro*, *pugno*, *&c.* Hancque ultimam terminationem sequuntur hæc quatuor, *mille*, *migliaio*, *centinaio*, *paio*, quæ in plurali faciunt *mila*, *migliaia*, *&c*.

Quæ

Quæ notantur accentu gravi, nihil mutant, *Rè, piè, mercè, città, libertà, virtù, &c.* quibus addere possumus *effigie, superficie, specie*, & numerale *cento.*

Hispani unicam recipiunt terminationem in Plurali, nimirum *s, hombre hombres, hijo hijos:* quæ verò finiunt per consonam aut vocalem *y*, cum *s* jungunt *e*, ut fiat *es*, quam addunt numero Singulari, *verdad verdades, muger mugeres, ley leyes.* Mutant tamen *x* finale in *g, relox reloges*, ut à principio notavimus.

Galli tribus modis secundum numerum finire solent, in *x, s, & z.* Unde sequitur esse indeclinabilia, quæ unam ex istis tribus consonis in terminatione Singulari recipiunt, *Palais, filz, amoureux.*

Postrema consona peculiaris est nominibus, quorum Singularis in *é* masc. desinit, *le curé, les curez; la verité, les veritez.*

X pro desinentibus in Dipthongos *au, eu, ou; Oiseau oiseaux, lieu lieux, clou cloux:* & nominibus in *al*, aut *ail cum Diphtongo*, quæ terminationem singularium ut plurimùm mutant in *aux, cheval chevaux, travail travaux.*

Reliqua singulari addunt *s* Hispanicorum more, primi generis, *ville villes, escu escus, Duc Ducs, Marchand Marchands, main mains, Chevalier Chevaliers:* eâ solâ conditione, quòd mutes *y* finale in *i, amy amis, Roy Rois*, ratione superiùs allatâ. Et aliquando etiam finalem rejiciunt consonam, *tout tous*, maximè quando alia præcedit consona, *Paillard paillars, parent parens:* id quod scriptorum arbitrio relinquendum censeo.

Terminationes

Terminationes Adjectivorum, aliorumque nominum, quæ de utroque genere possunt efferri.

ITali duo tantùm Adjectivorum genera nôrunt: alia duplicem terminationem habent, nimirum *o* pro Genere, *M.* & *a* pro Fœm. *bello bella, leggiadro leggiadra*; quæ species Adjectivorum cum *Hispanis* illis communis est, *hermoso hermosa, lindo linda*: alia pro utroque genere unicam solùm agnoscunt scilicet *e, cortese, amorevole.* Hocque ultimum Adjectivorum genus *Galli* & *Hispani* etiam usurpant, agreable, *agradable*; humble, *humilde.* Sed hîc notandùm apud *Gallos* quædam ejus generis Adjectiva reperiri, quorum Fœm. addit Masc. syllabam *sse*, *yvrongne yvrongnesse, borgne borgnesse*: quâ regulâ etiam dicimus, *abbé abbesse, Prince Princesse, Comte Comtésse, diable diablesse, hoste hostesse, Dieu Deesse, Duc Duchesse, larron larronnesse, pecheur pecheresse.* Quædam similiter in *eau* desinentia terminationem Mascul. mutant in *elle, beau belle, nouveau nouvelle, puceau pucelle, bourreau bourrelle, maquereau maquerelle*, & similia.

Gallorum tandem alia sunt Adjectiva, quæ binas recipiunt terminationes; sique primo Adjectivo addas *e*, (quod vocant Fœmin.) secundum tibi aderit, *zelé zelée, bossu bossue, amy amie, vray vraye, blond blonde, leger legere, courtois courtoise*, & sic de cæteris: quorum plurima duplicant consonam ad conservandum priorem sonum, qui aliàs esset nimis remissus, *bel belle, cruel cruelle, vieil vieille, pareil pareille, bon bonne, poltron poltronne, net nette, gros grosse, gras grasse.*

Hæc prior generalis regula etiam valet pro Substantivis, quæ de utroque genere possunt efferri, *marchand marchande, bastard bastarde, Loüis Loüise, Denis Denise,*

Marquis

Marquis Marquise, chien chienne, chat chate, estranger estrangere: maximè pro desinentibus in *er*, aut *ier*, artem vel officium aliquod designantibus, *boulanger boulangere, berger bergere, boucher bouchere, cordonnier cordonniere, patissier patissiere.* Hæc ultima apud *Hispanos* ut plurimùm terminantur in *ero, çapatero, panadero, carnicero, tauernero, aguadero:* Apud *Italos* verò finire solent in *aio, Calzolaio, fornaio, beccaio, peccoraio.* Item pro finientibus in *ant* & *ent*, tam Adjectivis quam Substantivis, *Amant amante, sçavant sçavante, parent parente, insolent insolente:* & nationalibus quibuscunque, *Savoyard Savoyarde, Alemand Alemande, Espagnol Espagnole, Romain Romaine, Italien Italienne, Gascon Gasconne;* ut sunt omnia quæ finiunt in *ois, François Françoise, Anglois, Escossois, Irlandois, Danois, Suedois, Polonois.*

Sed hæ sunt admittendæ præcautiones. 1° Desinentibus in *c*, mutabis *c* in *q*, cum vocali sibi affini, & sine qua non potest proferri, *Public Publique, Grec Greque, Turc Turque:* vel saltem aspirationem interpones, ut in his tribus, *sec seche, blanc blanche, franc franche.*

2° Quæ finiunt in *f* præcedente, Dipthongo ponunt *u*; *neuf neufue, veuf veufue, naïfe naïfue, juif juifue:* Si autem vocalis sit simplex *f* in *u* simpliciter mutant, *Oisif oisiue, maladif maladiue.*

3° Mutabis *x* masculinorum in *s*, *Joyeux joyeuse, faux fausse, espoux espouse, jaloux jalouse:* quibus addere possumus Substantiva in *eur, menteur menteuse, flateur flateuse, joüeur joüeuse, afronteur afronteuse.* Sed pleraque hujus terminationis nomina, maximè quæ apud *Latinos* desinunt in *x*. Ablat. Latinum retinent pro Fœminino, *Empereur Imperatrice, operateur operatrice, fauteur fautrice.* Idemque pro similibus observant *Itali*, ut in

supra-

ſupradictis, & generatim in omnibus, quæ à *Latinis* terminantur in *x*. Vox *voce*, nux *noce*, crux *croce*, nox *notte*, judex *giudice*, radix *radice*, Aurifex *Orefice*, capax *capace*: quæ quidem ab *Hiſpanis* ut plurimùm terminantur in *z*: *voz*, *nuz*, *cruz*, *&c.* ut ſuperiùs oſtendimus.

Hanc ultimam terminationem Gallicorum Adjectivorum etiam admittunt Hiſpani, ſed ejuſmodi nominum imperium apud illos anguſtis valde limitibus circumſcribitur: Nam præter ea quæ finiunt in *l*, *s*, *z*. *Leal*, *cruel*, *cortes*. *capaz*, *rapaz*; & quædam Comparativa in *r*, à Latinis deſumpta, ut *Peor*, *mejor*, *mayor*, *menor*, nulla prorſus reperiuntur. Similia Adjectiva apud Italos deſinunt in *e*, *leale*, *corteſe*, *capace*: ſicut etiam apud Gallos, maximè ea, quæ veniunt à Latinis in *ilis* penultimâ brevi, *facile*, *difficile*, *utile*, *inutile*, *debile*, *fragile*: nam ſi penultima ſit longa, ſolum fœmininum habebit *e*, maſculinum cum Hiſpanis conveniet, *v. g.* crudelis, *cruel cruelle*; civilis, *civil civile*; ſubtilis, *ſubtil ſubtile*.

Terminationes Diminutivorum eorumque natura.

GAllorum *Diminutiva* in unam ex his quinque terminationibus potiſſimùm finiunt, in, *Bouc Bouquin Diable Diablotin*: eau, *pigeon pigeonnau*, *advocat advocaceau*: et, *Roy Roitelet*, *homme hommelet*, *femme femmelette*, *maiſon maiſonnette*: ot, *Charles Charlot*, *Pierre Pierrot*, *Jean Janot*, *Marie Marote*, *Berger Bergerot*, *Petit Petiot*, *Beau Bellot*: on, *Louis Louiſon*, *Magdelaine Magdelon*, *chat chaton*, *chambriere chambrillon*, *ſale ſaliſſon*.

Prima duo genera Primitivi ſignificationem ſimpliciter

ter remittunt. Quæ ſub tertio continentur, dicuntur per deſpectum Subjecti, cui attribuuntur. Poſtrema verò amoris, familiaritatis & blanditiæ ſunt ſigna. Alia *Diminutiva* exprimi ſolent per Adjectivum *petit*, chien, *petit chion*; Teton, *petit Teton* : ſicut utuntur illius correlativo *Grand*, quando ſcilicet Primitivum volunt intendere, *Maiſon, grande Maiſon*; *Diable, grand Diable, un grand Diable d'homme*.

Hiſpani pro ſimilibus quatuor ſolùm terminationes recipiunt, uelo, *cuerpo cuerpezuelo, moça muçuela* : ito, *loco loquito, chico chiquito* : ico, *Juan Juanico, Monte Montezico* : illo, *hombre hombrezillo, muger mugercilla, puta putilla* : quorum tria prima blanditiæ & amoris cauſâ ſolent proferri; poſtremum verò ſemper indicat contemptum.

Itali verùm *Gallos* & *Hiſpanos* hac in parte longe ſuperant ; iiſque adeò frequens eſt hujuſmodi nominum uſus, ut vix ullum reperiatur Primitivum, cujuſcunque naturæ ſit, à quo quatuor, quinque, ſex vel ſeptem hauriri non poſſint. Hæc nomina apud illos pro terminatione novem ſequentes recipere queunt. *accio, one, otto, etto, ino, uzzo, uccio, uolo, ello*. *v. g.* ex his tribus Primitivis *vecchio*. *pouero*, *caſa*, ſequentia Derivativa facillimè poſſunt efformari, *vecchiaccio, vecchione, vecchiotto, vecchietto*; *vecchino, veccinzzo, vecchierello*; *poueraccio, pouēretto, pouerino, poueruzzo, pouerello*; *caſaccia, caſone, caſotto, caſetta, caſina, caſellina, caſuccia*; & ſic de aliis.

Harum autem novem Terminationum, tres primæ ſignificationem Primitivorum intendunt, & ideo vocantur *Augmentativa*: Reliquæ ſemper remittunt, *Diminutivorúmque* nomen propriè retinent. *Augmentativa* in *accio* per contemptum dici ſolent : qua ratione mihi perſuadeo noſtrates à nomine *peuple* deſumpſiſſe Derivativum

vativum *populace*, hoc eſt, *infima plebs*. Ex *Diminutiuis* verò, quæ deſinunt in *etto*, *ino*, *uccio*, *ello*, amoris, familiaritatis, blanditiæ & pietatis ſunt ſigna: Quæ verò in *uolo*, & *uzzo* deſinunt, ut plurimùm exprimunt contemptum.

Adjectivorum intenſio ſeu remiſſio per gradus Comparationis.

QUod ſpectat ad gradus Comparationis, (quos Grammatici *Comparativum* & *Superlativum* vocant) *Galli*, *Itali*, & *Hiſpani* pro primo, videlicet *Comparativo*, unum prorſus obſervant modum. Quando *Poſitivi* ſignificatio eſt intendenda, illi præponunt *Galli* Adverbium *plus*, blanc, *plus blanc*: Itali *più*; bianco, *più bianco*: Hiſpani *mas*; blanco, *mas blanco*. Si autem remittenda ſit, ſequentibus utuntur Adverbiis, *moins*, *meno*, *menos*. Hinc excipienda ſunt quædam à *Latinis* deſumpta, *v. g. melior*, *pejor*, *ſuperior*, *inferior*; à quibus dicunt *meilleur*, *megliore*, *mejor*; *pire*, *peggiore*, *peor*, *&c.* *Itali* etiam dicunt à *major maggiore*, & Hiſpani *mayor*: Galli verò illud exprimunt regulariter *grand*, *plus grand*: ſed benè dicunt à *minor*, *moindre*; ut Itali & Hiſpani *minore*, *menor*.

Cum autem *Superlativum* producere volunt *Itali* addunt Poſitivo *iſſimo*, *iſſima*, more Latinorum, *ricco ricchiſſimo*, *ricca ricchiſſima*; *piacevole*, *piacevoliſſimo*, *piacevoliſſima*. Hac terminatione utuntur ſæpius *Hiſpani*, maximè pro adjectivis deſinentibus in vocali, *Verdadero verdaderiſſimo*, *verdadera verdaderiſſima*: & etiam noſtrates in titulis Regum, Principum, Prælatorum, *Sereniſſime*, *Eminentiſſime*, *Illuſtriſſime*, *Reverendiſſime*; quibus

bus addere possumus *Grandissime*, & alia quamplurima, quæ jam apud Aulicos sunt in usu, *Ingratissime*, *Poltronnissime*, *Excellentissime*, *Galantissime*, prout passio & affectus illos movere potest. Sed propriè loquendo intensivis quibusdam utimur particulis, *v. g. tres*, *fort*, *extremement*, *infiniment*, *ravissamment*, & aliis ejusdem generis; *Sçavant*, *tres sçavant*, *fort sçavant*, *extremement sçavant*: quem usum *Hispani* ut plurimùm sequuntur, præponendo nimirum *Positivo* particulam *muy*, *muy hermoso*, *muy lindo*, *muy discreto*; maximè pro Adjectivis secundi & tertii generis, *muy humilde*, *muy leal*, *muy civil*.

Numeralium usus.

NUmeri aut sunt *Cardinales* aut *Ordinales*. De Cardinalibus nihil peculiare notandum, nisi quod *Hispani* interponunt Copulativam *y*, in Numeris Compositis, *diez y siete*, *diez y ocho*, *&c.*

Galli verò & *Itali* immediatè illos jungunt, *dixset*, *dixhuit*, &c. *dicisette*, *diciotto*, &c,

Ordinales apud Gallos fiunt à *Cardinalibus*, addendo *iesme*, & rescindendo finalem, quando nimirum *Cardinalis* desinit in *e*; *Deuxiesme*, *troisiesme*, *quatriesme*, *douziesme*, *trientiesme*, *&c.* Sed non dicunt *vniesme*, nisi in numero composito, *vingtuniesme*, *trent'uniesme*, *&c.* In Simplici verò dicunt *Premier*, & etiam *Second*, *La premiere sepmaine*, *le second jour*.

Itali numeros *Ordinales* formant more Adjectivorum primi generis, *primo*, *secondo*, *terzo*, *quarto*, *quinto*, *&c.* Sicut etiam Hispani, *primero* & *primo*. *segundo*, *tercero* & *tercio*, *quarto*, *quinto*, *sexto*, &c. Et differentia, quam pro *premier*

premier & *vniesme* Gallorum assignavimus, nobis est adhibenda pro *primero primo, tercero tercio* Hispanorum; nimirum quod *primero* & *tercero* sint Ordinales simplices; *primo* & *tercio* cum Numero Composito coalescant, *vigesimo* vel *veyntesimo primo*, *trigesimo* vel *treyntesimo tercio*.

Sæpe apud illos Numeri *Cardinales* Latinorum *Ordinalium* occupant locum, ut quando *Hispani* dicunt, *Capitulo vnze*; Galli, *En sainct Mathieu chapitre vingt-deux*: maximè pro annis Nativitatis Christi, *L'an mil six cens trente sept*; *El año mil seycientos treynta y siete*: Nec non pro horis diei, *a douze heures*; *a dodici hore*; *a las doze*, horâ duodecimâ.

Item *Itali* & *Hispani* in Datis Epistolarum utuntur numero Cardinali, *Roma cinque Marzo*, *En Madrid a cinco de Noviembre*: Sed Itali ut plurimùm numero præponunt *adi*, *Venetia adi quattro di Gennaio*; qua etiam locutione utuntur *Germani* & *Belgæ*, *v. g.* quando dicunt in suis Relationibus *adi detto*, eadem die: *Galli* verò Numerum *Ordinalem* usurpant, *De Paris le dixiesme Decembre*. In Literis Regiis, seu Patentibus à Magistratu concessis Galli dicunt *Faict*, aut *Donné a Saint Germain en Laye*: Hispani, *fecha*, *fecha en Valladolid*: Itali denique Latinorum *Datum* usurpant, maximè in Curia Romana, ubi omnia Latino idiomate solent expediri; *Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris*.

De verbis in genere.

VErba generatim à Grammaticis dividuntur in *Personalia & Impersonalia*.

Impersonalium existentia à tertia Activorum dependet;

det, cum quadam particulâ ut plurimùm juncta, sed diverso modo: Nam illa verba, quæ puro *Impersonalium* gaudent nomine, ut sunt Latinè, *Oportet*, *pluit*, & similia apud Gallos expletivam *Il* assumunt, *Il fault*, *Il pleut*: Apud Italos verò & Hispanos more Latinorum sine particula solent exprimi, *Bisogna*, *es menester*; *piove*, *llove*: Sæpe tamen usum Gallorum retinent Itali, & similibus Verbis possunt præponere Expletivam *Egli*, vel *ei*, aut *E'* per syncopen.

Impersonalibus autem, quæ Latinòrum Passivorum tertiâ personâ solent exprimi, *Galli* præponunt particulam *on*, dicitur *on dict*: Hispani *se*, *se dize*, *se suena*: Itali *Si*; quam ad libitum post & ante Verbum collocare queunt, *Si dice*, *dicesi*: cujus particulæ consona duplicari debet, si postponatur Verbo accentu gravi notato, *si fà*, *fassi*; *si è detto*, *essi detto*.

Verborum *Personalium* quinque genera possunt observari, *Activa*, *Passiva*, *Neutra*, *Reflexiva*, & *Auxiliaria*.

Passivorum usus ab integra Substantivi Auxiliaris inflexione dependet, junctâ nimirum cum Participio Activi, numero & genere convenientibus personæ aut rei, ad quam refertur passio.

Neutra, quatenus sunt Neutra, ab Activis differunt in eo, quòd in temporibus Compositis Auxiliari Passivorum utantur.

Reflexiva Neutrorum conjugationem sequuntur additis solummodo particulis reciprocis, *me*, *te*, *se*, *nous*, *vous*, pro Gallis; quibus Itali respondent cum *mi*, *ti*, *si*, *ci*, *vi*: Hispani tres primas cum Gallis communes habent; duabus aliis, videlicet *nous*, *vous*, & *v* consonam & *u* vocalem rescindunt; dicuntque *nos*, *os*.

Ultimi tandem generis Verborum, scilicet *Auxiliarium*,

um, duo tantùm agnoſcunt *Galli* & *Itali*: *Avoir*, *Havere*; *Eſtre*, *Eſſere*: quibus reſpondent *Hiſpani* cum ſuis Auxiliaribus *Auer* & *Ser*; ſed alia duo ſolent addere, *Tener* & *Eſtar*; quorum tamen uſus valdè anguſtis limitibus circumſcribitur. Nam primum *Tener* locum non habet in Verborum conjugationibus, niſi in Futuro Indicativi, & aliquando in Perfecto ejuſdem modi, ut in hac Phraſi, *como yo tengo dicho arriba*, pro *yo he dicho*. Alterum pauló latiùs extenditur, & de eo poteſt eſſe major difficultas, quandoquidem ferè eandem cum Auxiliari *Ser* ſignificationem habeat: Eorum verùm diſcrimen in hoc poſitum eſt, quòd *Ser* rei eſſentiam denotet vel in qualitate, vel in quantitate, *Ser hombre de bien*, *ruyn*, *vellaco*, *grande*, *pequeño*. *Eſtar* autem exiſtere in aliquo loco ſignificat, *Yö he eſtado en Paris*; & ut plurimùm locum obtinet in omnibus, quæ animi affectionem aut paſſionem poſſunt denotare, *Eſtoy enojado*, *ayrado eſtaua*: unde ſimile verbum ſolent uſurpare, quando de alicujus valetudine quærendum ſit, *Como eſta v. m? Bueno eſtoy*, vel ſubaudiendo verbum, *Bueno para ſervir à v. m*: quem ſalutandi modum ut & alia quamplurima ab illis mutuati ſunt Itali, *Come ſtà vo Signoria.*

Relictis autem his duobus poſtremis *Hiſpanorum* Auxiliaribus, utpote quæ nullam in verborum conjugationibus partem ſibi vendicari poſſunt; præter eam jam illis aſſignatam, aliorum naturam & proprietates explicare operæ prætium eſt: Primum ergo ſibi ipſi & Activis inſeruit: alterum Paſſivis, Neutris, & Reflexivis peculiare eſt: nec non apud Italos ſibi auxiliatur: *Galli* verò & *Hiſpani* ſimplicia primi Auxiliaris aſſumunt tempora.

De Verbis in Specie, & eorum variæ assignantur differentiæ.

ITali & Hispani, si solius infiniti habeatur ratio, ut à Grammaticis semper fuit observatum, quoad numerum & terminationes Conjugationum optimè conveniunt. *Itali* tres solummodo recipere solent, & si à multis constituantur quatuor, ut apud Latinos, nimirum *are*, *ere*, & *ire*; *Caminare*, *tenere*, *correre*, *venire*: quibus si finalem vocalem rescindas, tres Hispanorum Conjugationes aderunt, videlicet *ar*, *er*, *ir*; *Caminar*, *correr*, *venir*.

Galli, quamvis diversas pro Infinitivis agnoscant terminationes, sub tribus tamen etiam facillimè possunt reduci: prima erit *er*, omnium amplissima, quæ nimirum sub sua jurisdictione comprehendit ferè omnia verba primi ordinis Italorum & Hispanorum, *cheminer*, *souper*, *chercher*, *trouuer*. Secundæ duplicem terminationem assignare possumus, nimirum *Oir*, *voir*, *sçavoir*, *vouloir*, *pouvoir*; & *Re*, quæ præcedatur vel à vocali simplici, ut sunt verba in *ire*, *Lire*, *escrire*: vel à dipthongo, scilicet *ai*, aut *oi*, *faire*, *croire*: vel denique à consona, *naistre*, *craindre*, *peindre*, *prèndre*. *suiure*, *congnoistre*; quæ omnia ad secundam *Italorum* & *Hispanorum* referri queunt. Tertia tandem erit *ir*, ad normam *Hispanorum*; quæ similiter *Italorum* tertiæ respondebit, *Ouurir*, *couurir*, *dormir*, *venir*: & generatim de omnibus erit affirmandum, primam & tertiam primæ & quartæ Latinorum conjugationibus respondere: secundam vero sub secunda & tertiâ contineri.

De Temporibus in genere.

NOvem tantùm ſimplicia agnoſcunt tempora *Itali* & *Galli*, nimirum quatuor *præſentia*, Indicativi ſcilicet, Imperativi, Subjunctivi & Infinitivi. Tria *Imperfecta*, quorum primum Indicativo inſeruit; alia duo Optativo & Subjunctivo: *Præteritum definitum* ſeu *ſimplex*, quod ab aliis vocatur *Aoriſtus*; & *Futurum* Indicativi; quibus jungere poſſumus *Gerundium* & *Participia*. Reliqua Tempora ſunt Compoſita, nimirum ex Participio Verbi, & ſimplicibus Auxiliaris Temporibus, quæ numero tot ſunt, quot ſimplicia; præter unum *Præſens*, ſcilicet Imperativi, quia ejuſmodi compoſitionem nequit admittere.

Dixi ſuprà *Galli* & *Itali*, nam *Hiſpani* hac in parte ſuperant illos, & præter jam enumerata Tempora, quæ cum his & illis communia tenent, duobus adhuc utuntur ſimplicibus; uno namque *Imperfecto* aut *Pluſquamperfecto* pro Modo Potentiali & Subjunctivo, quod ſemper deſinit in *ra, amara, uviera, dixera, fuera*; cujus naturam hoc exemplum manifeſtabit, *Si yo tuviera dineros, andarian mejor mis negocios*; *Si haberem pecuniam, meliùs irent mea negotia*; *Si yo tuviera muchos dineros, avria comprado muchos libros*; *Si habuiſſem multùm pecuniæ, multos empſiſſem libros*: quâ in ultima Phraſi *Galli* & *Itali* compoſitione uti coguntur, *Si j' euſſe eu beaucoup dargent, S' io haueſſi hauuto molti danari.*

Alterum eſt *Futurum* Subjunctivi, quod planè reſpondet Futuro Latinorum in *ro*, & eandem cum illo terminationem ſervat, mutando ſolum *o* Latinorum in *e*, Dixero *dixère*, fuero *fuére*, amavero *amâre*.

Quando v.m. quiſiere, quando tibi placuerit; *Galli* & *Itali*

Itali illud exprimunt per Futurum Indicativi, *quand vous voudrez Monsieur, quando v. s. vorrà*: aut per Præsens ejusdem modi, si videlicet præponatur particula conditionalis, *Si, Si v.m. fuere servido, S' il vous plaist Monsieur.*

Tria item addunt composita; hæc duo supradicta Auxiliarium, scilicet cum Participio verbi, *uviera* & *uviere amado, leydo, sido*: & secundum Futurum Indicativi, constans ex prima voce Infinitivi, & Præsenti Auxiliarium, *he* vel *tengo, yo he de auer*, vel *yo tengo de auer*; sed ultimum cum *tengo* usitatius est. Ejusmodi tempus à Gothis originem habet, ut optimè observavit *Thomas Tamayo de Vargas, in suis Antiquitatibus Hispaniæ*; & optimè convenit cum Futuro Germanorum, Ich soll, Ich will haben; quòd etiam Anglis sonat, I will, I shall have.

De Temporibus in Specie, & singulorum dantur Terminationes.

Ex novem Temporibus, quibus simul utuntur *Galli, Itali, & Hispani*, quatuor comperio, quæ nullam ferè recipiunt anomalitatem, saltem quoad inflexionem, tria videlicet *Imperfecta* & Futurum.

Primum Imperfectum Galli desinunt semper in *ois*, *j'avois, je disois*. Itali in *ua, haueua, diceua*; neque mihi placet *Florentinorum* Dialectus, qui primam hujus temporis personam desinunt in *o, haveuo, diceuo*. Terminationem *Italorum* retinent *Hispani* pro prima Conjugatione, *buscare buscaua, hallar hallaua*: sed pro secunda & tertia recipiunt *ia, querer queria, morir moria*: aut *ya*, quando nimirum duplicatur vocalis ante consonam finalem Infinitivi, *Creer creya, leer leya, Reyr Reya, oyr oya.*

Pro

Pro *ſecundo Imperfecto* communem terminationem habent, videlicet geminam *ſſ*, cui *Galli* & *Hiſpani* addunt *e*. J'euſſe *uvieſſe*, fuſſe *fueſſe*, fiſſe *bizieſſe*, aimaſſe *amaſſe*. Itali addunt *i*, *haneſſi*, *foſſi*, *amaſſi*, *faceſſi*.

Tertium finitur à *Gallis* in *rois*, *J'aurois*, *je ferois*, *j'aimerois*, *je ſerois* : ab *Italis* in *rei*, *Hanerei*, *farei*, *amerei*, *ſarei* : ab *Hiſpanis* in *ria*, *Auria*, *ſeria*, *amaria* : quæ terminatio quamplurimis Italiæ populis uſitata eſt, maximè *Florentinis*, ut notavit *Bembus* in ſuis Proſis; pro prima nimirum & tertiâ ſingulari, nec non tertiâ plurali, *haveria*, *haveriano*; *ſaria*, *ſariano* : & hanc ultimam Italorum perſonam etiam Poëtæ deſinunt in *eno*, *haurieno*, *ſarieno*.

Futurum in vocalem ſimplicem deſinunt *Itali* & *Hiſpani* cum accentu in ultima ; *Itali* videlicet in *ò*, *haverò*, *ſarò*, *amerò* : Hiſpani in *e*, *Auré*, *ſeré*, *amaré* : Galli verò in diphtongum *ay*, *j'auray*, *je ſeray*, *j'aimeray*.

Aoriſtus ſimiliter nullam aut parvam admittit irregularitatem, niſi in prima perſona, cujus terminatio prorſus eadem eſt apud *Gallos* & *Italos*, pro prima Conjugatione, *J'aimai*, *jo amai* ; *je chantai*, *jo cantai* : ſed *Hiſpani* diphtongum in ſimplicem *e* reducunt, *yo ame*, *yo cante*.

Quod ad tertiam Conjugationem ſpectat, parum aut nihil diſcrepant : Nam *Itali* hoc tempus deſinunt in *i*, vel duplex, ut *Sentire ſentij*, *partire partij*, vel ſimplex cum accentu, *ſentì*, *partì*, *morì*. Galli in *i* aut *y*, ſed priùs in ultimum, quandoquidem *i* vix locum habeat in fine dictionis, ut à principio inſinuavimus, *je dormy*, *je party*. Hiſpani hos & illos ſequuntur, rejiciuntque finalem liquidam Infinitivi, *dormir dormi*, *morir mori*, *reyr rey*, *oyr oy* : & hanc poſtremam terminationem etiam tribuunt Verbis tertiæ Conjugationis, quæ duplicant vocalem in Infinitivo, *Leer ley*, *caer cay*, *creer crey* : alias ſi vocalis

vocalis ſit ſimplex, tertiæ Inflexionis *Aoriſtus* deſinit aut in *e*, *querer quiſe*, *hazer hize*; aut in *i*, *boluer bolui*, *entender entendi*, *nacer naci*.

Italorum Aoriſtus ſecundæ Conjugationis deſinit quoque in *i*, ſed diverſo modo: Nam illud *i*, aut præceditur ab *e*, cum qua coaleſcit in diphtongum, *batere batei*, *temere temei*: aut ab *s*, *chiudere chiuſi*, *chiedere chieſi*, *perdere perſi*, *mordere morſi*, *prendere preſi*, *riſpondere riſpoſi*; ut ſunt omnia Præterita Latinorum, quæ terminant in *xi*, junxi *giunſi*, planxi *pianſi*; duplicando *ſſ*, quando videlicet Latinorum *x*, etiam à vocali præceditur, dixi *diſſi*, afflixi *affliſſi*, conduxi *conduſſi*. Aut denique duplicatur conſona, *volere volli*, *tenere tenni*; etiam quæ non erat in Infinitivo, *havere hebbi*, *creſcere crebbi*, *conoſcere conobbi*, *ſedere ſedetti*, *credere credetti*, *tacere tacqui*, *piacere piacqui*, *naſcere nacqui*: Et quamplurima reperiuntur quæ puram Latinorum vocem retinent, *Concedere conceſſi*, *ridere riſi*, *videre vidi*, *perſuadere perſuaſi*, *promettere promiſi*, *ardere arſi*.

Verùm *Galli* pro hujuſce Inflectionis *Aoriſto* varias recipiunt terminationes. Quædam finiunt in *is*, *faire*, *je fis*; *dire*, *je dis*: quædam in *y*, *rendre*, *je rendy*; *peindre*, *peingny*; quam terminationem inepti populares etiam extendere ſolent ad primam Conjugationem, *v.g.* quando dicunt, *j'ally*, *j'aimy*, *je diſny*, pro *j'allay*, *j'aimay*, *je diſnay*: Quædam in *u*, *vouloir*, *je voulu*; *reſoudre*, *je reſolu*; *congnoiſtre*, *je congnu*. Alia tandem deſinunt in *eu*, quæ quidem terminatio communis eſt ferè omnibus verbis, quorum Infinitivus deſinit in *oir*, vel *oire* aut *aire*, *Avoir j'eu*; *povuoir*, *je peu*; *ſçavoir*, *je ſceu*; *croire*, *je creu*; *boire*, *je beu*; *plaire*, *je pleu*; *taire*, *je teu*: quibus recentiores jam volunt reſcindere primam vocalem diphthongi æquè benè ac in Participiis, *je bû*, *je crû*, *je pû*:

Sed

Sed ſimilis contractio mihi videtur valdè repugnans noſtræ Gallicæ Dialecti naturæ, quæ ſupra modum diphtongorum affectat uſum.

Primum Præſens, ſcilicet Indicativi, apud *Italos* deſinit ſemper in *o*, *havere io hò*; *eſſere ſono*, *amare amo*, *leggere leggo*, *dormire dormo* : & etiam apud Hiſpanos, *amare amo*, *leer leyo*, *dormir duermo* : Præter anomala quædam, quorum alia mutant *o* in *e*, *Auer*, *yo he*; *Saber*, *yo ſe*; alia aſſumunt *y*, *eſtar eſtoy*, *ſer ſoy*, *andar* aut *yr*, *voy*.

Galli verò triplici modo hoc tempus finire ſolent, vel in vocalem ſimplicem, ſcilicet *e* fœmininum, ut ſunt omnia Verba primi ordinis, reſcindendo *r* finale Infinitivi, *aimer j'aime*, *chanter je chante*, *cheminer je chemine* : vel in diphtongum, *Avoir j'ay*, *ſcavoir je ſcay*, *aller je vay*, *voir je voy*, *boire je boy*, *croire je croy* : vel denique in conſonam *ſ*, ſub qua triplex adhuc continetur terminatio; aut enim *s* præceditur à vocali, ut ſunt Verba in *ire*, *dire je dis*, *eſcrire j'eſcris*; vel à diphtongo, *faire je fais*, *plaire je plais*, *debuoir je doibs*, *concevoir je conçois* : vel à conſona, ut ſunt Verba, quorum terminatio Infinitivi *Re*, præceditur à conſona, *prendre*, *je prens*; *craindre*, *je crains*; *reſpondre*, *je reſpons* : quibus jungemus quamplurima tertii ordinis Verba, *dormir*, *je dors*; *repentir je me repens*; *mentir*, *je mens*; *venir*, *je viens*; *tenir*, *je tiens*; & ſimilia. Si verò illud *Re*, præceditur à conſona duplici *ſt*, tunc *t* rejiciunt, cum ipſa Infinitivi terminatione, *repaiſtre*, *je repais*; *congnoiſtre*, *je congnois*; *paroiſtre je parois*.

Præſens Imperativi, & *Præſens* Subjunctivi ab iſto primo *Præſenti* prorſus dependent, de quibus, ſicut de aliis temporibus, Grammaticæ ſunt vobis conſulendæ : id fideliter præſtabit *Anthonius Faber* in ſua Grammaticâ tri-lingui, Gallicâ, Italicâ, & Hiſpanicâ. Nam hoc

in tractatu ejus generis opus instituere non decrevimus; sed præcipuas duntaxat harum trium Dialectorum differentias ab oculos ponere, ut à limine operis sumus professi.

Gerundia apud *Italos* & *Hispanos* unâ eâdemque terminatione gaudent, nimirum *Do*; formantur ab Infinito mutando *Re.* Italorum & *R* finale Hispanorum in *ndo*: eâ tamen conditione, ut mutes *i* formale Italorum in *e*, *seguire seguendo, morire morendo*: & interponas *i* pro secundo, & *e* pro tertio Hispanorum ordine, *hazer haziendo, aver aviendo, dormir dormiendo, dezir deziendo.* Hæc Gerundia optimè respondent Latinorum Gerundiis in *Do*, & à Gallis exprimi solent per Participium in *ant*, præfixâ Præpositione *En, en faisant, en disant, en mourant*: quæ additio particulæ Hispanis aliquando est usitata, *En llamando ala puerta luego salimos todos*; *yo yré luego en acabando de comer.* Similiaque Italorum & Hispanorum Gerundia eleganter circumferuntur cum verbis *Stò estoy, vò voy. Io stò considerando, io vò pensando*; *estoy comiendo, esta escriviendo*; loco videlicet Præsentis Verbi à quo *Gerundium* suam ducit originem, *Io considero, io penso*; *yo como, el escrive*: quibus circumlocutionibus interdum etiam utuntur *Galli*, ut liquet ex his versibus *Salustii Du Bartas.*

Mais pourquoy fols humains allez vous compassant
Du compas de vos sens les faicts du tout puissant.

Supersunt *Participia*, quorum duplex genus recipiunt *Galli, Itali*, & *Hispani*, & *Latinorum* more, ad duo tempora referri queunt, *Præsens* scilicet & *Præteritum. Participia* primi temporis apud *Gallos* desinunt in *ant*, *chantant, escoutant, dormant.* Apud *Italos* verùm duplici terminatione gaudent *ante* & *ente*, *amante, errante, dolente, ubediente*; ut etiam apud Hispanos *amante, escriviente, sirviente*:

sirviente: quæ omnia pari modo ac *Gerundia* suam ab Infinitis deducunt originem. Sed hujusmodi *Italorum* & *Hispanorum* Participia ad naturam nominis propiùs accedunt quam Participii, & raró adsunt in oratione, nisi nominis qualitate sint induta: aliàs ut plurimùm circumlocutione, vel saltem Gerundio solent exprimi.

Participia Præteriti temporis *Hispani* terminant in *Do*, *amado*, *querido*, *oydo*. Itali in *to*, vel *so*, *amato*, *voluto*, *aperto*, *sciolto*, *udito*, *fatto*, *detto*, *offeso*, *inteso*, *promesso*. Galli verò pro illis varias terminationes admittunt, quæ tamen subsequentibus possunt reduci in *é* mascul. ut sunt omnia primæ Conjugationis *aimer aimé*, *chanter chanté*: In *y*, pro Verbis scilicet tertiæ inflexionis, *bannir banny*, *choisir choisy*: in *eu*, *pouuoir peu*, *avoir eu*, *debuoir deu*: in *u*, *vouloir voulu*, *battre battu*, *congnoistre congnu*; maximè illa quorum Infinitivus desinit in *dre*, præcedente liquidâ *n* aut *r*, *vendre vendu*, *perdre perdu*: vel denique in consonam, quæ ut plurimùm est *t*, *cuire cuit*, *produire produit*, *faire faict*, *dire dict*: aut *s*, *commettre commis*, *promettre promis*, *comprendre compris*.

Hæc ultima Participia duplici modo possunt considerari, vel tanquam *Activa*, aut tanquam *Passiva*, quatenus nimirum in Conjugationibus Verborum cum *Auxiliaribus* junguntur: Si cum *Auxiliari Passivorum* coëunt, declinantur sicut Nomina, prout expetit numerus Verbi, vel genus Nominis ad quod referuntur. *Je suis aimé*, *je suis aimée*, *nous sommes aimez*, *nous sommes aimées*. Idemque de Italicis & Hispanicis judicium fieri debet.

Si verò cum Auxiliari *Activorum* jungantur, neque genus, neque numerum mutant, sed semper retinent singulare generis masculini, nisi tamen præcedat Nomen, ad quod *Participium* immediatè referri possit; quo in

casu

casu *Galli* & *Itali* Participium cum nomine numero & genere conjungere solent; *L'homme que je vous ay envoyé; l'huomo ch'io vi hò mandato, la lettre que je vous ay escrite, la lettera ch'io vi hò scritta; les services que vous m'avez rendus, i seruigi che voi m'havete resi;* & similia quibus *Hispani* uno eodemque modo semper respondent, singulari videlicet generis masculini, *el hombre que me aveys embiado, los servicios que me aveys rendido.*

Peculiares quædam de Verbis observationes.

1° Itali *Negationis* Imperativum eleganter circumferunt per Infinitivum, præfixâ videlicet Negativâ *Non*, *non disperar Aminta; Pastor non mi toccare, son di Diana.*

2° *Gallorum, Italorum,* & *Hispanorum* Infinitivi æquè benè ac Latinorum Nominis naturam possunt induere, *Le boire, le manger; el beuer, el comer;* ut in his versibus *Sannazari,*

L' hauer altrui più caro che se stesso,
Il lagrimar e sospirar mai sempre,
L' arder da lungi, ed agghiacciar da presso,
Son la cagion ch' amando j' mi distempre.

3° Ubi duo *Imperfecta* Subjunctivi modi apud *Italos* & *Hispanos* simul occurrunt, *Galli* primum per *Imperfectum* Indicativi solent exprimere, ut in hoc exemplo. *S'io hauessi bella moglie haverei bei figlivoli; Sy j'avois vne belle femme, j'aurois de beaux enfans.*

4° *Itali* & *Hispani* sæpissimè confundunt *Aoristum*, hoc est *Perfectum simplex*, cum *Perfecto composito*, *Galli* verò nunquam, *v. g.* *Nous auon disné aujourdhuy ensemble;*

semble; *hoggi noi habbiamo desinato insieme*; Hispani indifferenter possunt dicere; *Oy avemos comido juntos*, vel *Oy comimos juntos*: Aliàs actio hodierna *Perfecto Composito* semper est exprimenda; hesterna aut remotior *Perfecto simplici*. Hujusmodi differentiam luculenter tractavit *Anthonius Oudin* in suâ Analogiâ superiùs citatâ.

5° *Gerundia* Latinorum in *Di*, per Infinitivum solent explicari, præpositâ particulâ *de*, pro *Gallis* & *Hispanis*, *Di* pro *Italis*, *v.g. Da mihi copiam ludendi*, *Donnez moy congé de joüer*, *De me v.m. licencia de jugar*, *Datemi licenza di giocare*. Si verò sequitur in phrasi Latinâ *gratiâ* vel *causâ*, tunc Galli cum Infinitivo assumunt Præpositionem *Pour*, Itali *Per*; Hispani *Por*, aut *Para*; sicut etiam pro Gerundiis in *dum*, *Non sum sat fortis ad ferendum tantum onus*, *je ne suis pas assez fort pour porter vne sy grande charge*; *per portar cosi gran carico*; *para llevar tan gran carga*.

6° Si illud Gerundium Latinorum in *dum*, *necessitatem* importet, Infinitivum assumunt cum Impersonali, secundum Latinorum *Oportet*, *Studendum est*; *Il faut estudier*, *bisogna studiare*; *es menester estudiar*: oportet studere.

Tandem Latinorum Supinum in *um*, quando cum Verbo *Motus* conjungitur; per Infinitivum communiter solet exprimi; *Eamus pransum*, *Allons disner*: cui quidem Infinitivo *Itali* & *Hispani* præponunt particulam *a*, *Andiamo a desinare*, *vamos a comer*. Et Phrases quas *Latini* & *Itali* per Verbum *Substantivum* efferre soliti sunt, *Galli* & *Hispani* primo utuntur *Auxiliari*, & tertiâ singularis numeri personâ, ut ex sequentibus exemplis perspici potest; Quid novi est? *Che c' è dinuovo*; Sunt multi homines, *Sono molti huomini*; Galli dicunt, *Qui a-il de nouveau? Il y a plusieurs hommes*; Hispani, *Que ay de nuevo? ay muchos hombres*.

Formula

Formulæ loquendi Gallorum, Italorum, & Hiſpanorum *in ſecunda & tertia perſona.*

ITali & *Hiſpani* abſque Pronomine Perſonali Verbum ſæpius ſolent exprimere, ſed *Galli* ſemper illud apponunt.

Galli & *Itali* ſecundâ plurali communiter utuntur, etiam ſi ad Individuum,& ſecundam perſonam ſingularem referatur oratio, *Sy vous m'eſcrivez, je vous feray reſponſe*; *Se voi mi ſcrivete, jo vi farò riſpoſta.* Neque unquam admittunt numeri ſingularis ſecundam perſonam, niſi contemptum, vel ſaltem familiaritatis affectum indicare velint,

Apud *Hiſpanos* verùm hæc locutio abjecti ſermonis ſignum eſt, ut facilè poteſt percipi ex reſponſo cujuſdam Conſiliarii *Granatenſis* curiæ, qui cum ab aliquo Gallo, Hiſpanicarum Ceremoniarum imperito exceptus eſſet per *vos*, optimè dixit, *aqui Señor no ay vos ſi no vos.* Raro, inquam, aut nunquam ab illis uſitatur, & forſan rariùs quam ab Italis & Gallis *Tu*, niſi inter affines, conſanguineos, familiares & amicos, ac cum iis, qui à nobis abſolutè dependere videntur, ut Princeps cum ſubditis, Dominus cum ſervis, Pater cum filiis; hocque ſcribendo ſolùm, nam loquendo tertiâ ferè ſemper perſonâ ſoliti ſunt uti, ſed diverſo modo.

Si cum inferiori illis ſit tractandum, jungunt cum Verbo Pronomen *El*, vel ſubaudiunt illud, maximè quando ſemel aut bis in oratione fuerit productum. *Si el me haze eſſa merced, yo le tengo de hazer otra :* quâ in parte cum Germanis, & aliis Septentrionalibus Populis optimè conveniunt, qui ſecundam numeri ſingularis perſonam exprimere volentes dicunt Der Herr; nec non Latinè lo-

quendo

quendo *Dominus*, Si Dominus mihi hanc concedit gratiam, multum illi aſtrictus ero.

Si autem cum paribus vel ſuperioribus ſit procedendum, hæc duo vocabula ſolent aſſumere *vueſtra merced*, cujus primum ab illis ut plurimùm truncatur *vueſa merced*, & communiter *voaſte*; illaque ſcribendo ſolum duabus exprimunt literis *v.m.* quâ locutione etiam pro Latino Idiomate utuntur Germani, quando dicunt, & quidem impropriè, *Tua* vel *Veſtra* aut *Sua Dominatio*.

Dixi ſuprà *Gallos* & *Italos* ſecundam pluralem communiter uſurpare pro ſecunda ſingulari; ſed magnum inter eos diſcrimen comperio. Nam *Galli* cujuſcunque gradus vel dignitatis perſona ſit, quemlibet indifferenter tractant per *vous*, æquè bene Sutorem ac Nobilem de qua libertate valdè conquæritur *Joannes de Luna* in ſuis Dialogis. Ab *Italis* verò ſimilis dicendi formula cum inferioribus duntaxat, vel ſaltem æqualibus uſitata venit: Si enim orationis curſus ad ſuperiores, vel etiam pares dirigitur, quibus aliquod reverentiæ genus exhibendum ſit, tunc in tertia perſona loquuntur, ſicut Hiſpani, *voſtra Signoria*, cujus primam vocem ſimiliter truncant *vo Signoria*, & ambo duplici tantùm literâ ſcribi ſolent *v. s.* ut Hiſpanorum *v. m.*

Quomodo utantur Itali Signoria, *& Hiſpani* Señoria.

HUnc ultimum loquendi modum in tertia perſona ab *Hiſpanis* mutuati ſunt *Itali*; ſic teſtatur *Ludovicus Arioſtus*, celebris & fide dignus auctor in quadam *Satyrâ*.

Dapoi che l' adulatione Spagnuola,
Hà poſto la Signoria in bordello.

Idem

Idem refert *Jacobus Pergamini* in ſuo Theſauro *Della lingua volgare*, & ex noſtratibus *Paſquier* in ſuis *Recherches de la France*. Verùm hujuſmodi titulus, etiamſi eandem prorſus habeat ſignificationem, modo tamen planè diverſo ab illis ſolet uſurpari. Nam Italorum *Signoria* æquivalet Hiſpanorum *Vueſa merced*, & ambo cuilibet Perſonarum generi poſſunt tribui. Hiſpanorum autem *Señoria*, Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abatibus, Comitibus, & Marchionibus ſolum attribuitur; quo in caſu *Itali* aliquod Epithetum addere ſolent, pro Epiſcopis ſcilicet, Abatibus & Referendariis *Reverendiſſima*; pro Cardinalibus & Archiopiſcopis *Illuſtriſſima* & *Reverendiſſima*: quibus Epithetis etiam utuntur *Hiſpani* pro Eccleſiaſticis, *Vueſa Reverendiſſima Señoria*, *Vueſa Illuſtriſſima Señoria*.

Item *Signoria Illuſtriſſima* decorantur Comites, Marchiones, Barones, Cancellarii, Præſides alicujus ſupremæ Curiæ, Senatores Reip. Venetæ; quamvis generatim loquendo omnes hujuſce Reip. Nobiles *Signoria Clariſsima* communiter gaudeant.

Verùm ab aliquot annis *Signoria Illuſtriſſima* ſibi uſurpant Epiſcopi & Abates, id quod tam iniquo pertulerunt animo *Illuſtriſſimi Domini Cardinales*, ut antiquo *Illuſtriſſimorum* & *Reverendiſſimorum* titulo planè renunciare incœperint, ac novum & valde glorioſum ad invenerunt, nimirum *Eminentia*, quo jam in Italia, Galliâ & Hiſpaniâ communiter gaudent, ut nempe *Purpuræ* faſtus ab aliis gradibus Eccleſiaſticis poſſit dignoſci.

Italis denique adeò placet hujuſmodi Epithetorum uſus, ut vix *Signoria* proferant ſine aliquo ejus generis vocabulo, maximè quando producendus eſt terminus concretus *Signore* vel *Monſignore* ut ſtatim oſtendemus.

Uſus

Vsus Vocabulorum Signore, Monſignore, Señor, Don, Monſieur, Monſeigneur.

QUibus Italia *Signoria* tribuunt, etiam de illis dicunt *Signore*, quod eſt concretum, jungendo videlicet Epithetum, ordine & modo ſuperiùs explicatis, *Reverendiſſimo, Illuſtriſsimo, Eminentiſsimo, Clariſsimo*: & ei ſolent præponere Poſſeſſivum Gallicum, *Monſignore*, quando de *Eccleſiaſticis* habetur ſermo, à *Cardinalibus* nimirum ad *Referendarios* uſque.

Verùm præter jam enumerata attributa, aliis utuntur quamplurimis, *v.g.* *Conſiliarii* & *Doctores juris* ſibi uſurpant *Molto Magnifico*; Mercatores *Magnifico*; Nobiles *Molto Illuſtre*; Medici *Eccellentiſſimo*: de quibus *Franciozini* in ſuo vocabulario, vereor, inquit, ne cum tempore eorum etiam mulæ *Eccellentiſſime* velint appellari. Familiares tandem cum Familiaribus *Nobiliſſimo*, *Honoratiſſimo*, *Corteſiſſimo*, *Gentiliſſimo*, & aliis utuntur ſimilibus, quæ ab animi affectu poſſunt ſuggeri.

Huic titulo duplici voce reſpondent *Hiſpani*, *Señor* & *Don*: *Señor* terminus eſt generalis, & ab infimo ferè uſque ad Regem ipſum ſolet extendi, maximè initio *Epiſtolarum* & Præpoſitione affirmativâ aut negativâ, *Si Señor, No Señor*: quibus *Itali* attributum jungere ſoliti ſunt, quando nimirum adeſt aliqua ex circumſtantiis, quas ſuperiùs ſtabilivimus, *Illuſtriſſimo Signor ſi, &c.* Alter de quibuſcumque Nobilibus, tam Eccleſiaſticis, quam Secularibus. Ducibus, Principibus, ac de Rege ipſo dicitur, *Don Phelipe por gracia de Dios Rey de Caſtilla, de Leon, de Arragon, de Jeruſalem, de las Indias, &c. Don Carlos Infante de Eſpaña*; maximè in ſubſcriptionibus Epiſtolarum, ut infrà oſtendemus.

Tribuitur etiam *Don* omnibus ferè *Togatis* ut ſunt *Præſidentes*, *Conſiliarii*, *Doctores*, *Sacerdotes*, *Medici*, *Baccalaurei*, *Licentiati*, & ſimiles. Neque hîc prætereunda inepta quædam ſed familiaris Hiſpanorum locutio, qui vocant *Señor Licenciado* quemlibet qui longâ incedit veſte, etiamſi aliquando neque duntaxat legere ſciat. Sæpiſſime junguntur ſimul *Señor Don*, quando videlicet profertur nomen illius, ad quem noſter dirigitur ſermo, *Señor Don Diego una palabra*.

Ultimum ſibi uſurpant Nobiles in Italia, *Don Antonio Barbarini*, *Don Franceſco Spada*; & quidam Ordines in Gallia, ut *S. Benedicti*, *S. Bernardi*, *Redemptionis captivorum* vulgo *Mathurini*, *Celeſtini*, *Carthuſiani*, & alii pinguiores Monachi, quibus tribuitur *Don*, *Don Pierre*, *Don Bernard*. Sed qui ſub inferiori Monachorum categoriâ collocantur, ut *quatuor Mendicantes*, *Carmelitani*, *Auguſtiniani*, *Dominicani*, *Franciſcani*, & *Diſcalceati* ſimpliciter vocantur *Patres Peres*, ſi ſint Sacerdotes, *Pere Ange*, *Pere Cherubin*: aliàs ſi Presbiteratûs gradum non attigerint, omnes ſunt *Fratres* in Chriſto, *Frere Laurens*, *Frere Thibaud*.

Hæc duo ſupradicta *Hiſpanorum* attributa unicâ voce exprimunt *Galli*, nimirum *Monſieur*; cujus adeò latè extenditur uſus, ut etiam de *Fratre Regis* per Anthonomaſiam dici ſoleat, *Monſieur eſt General de l' armée*, hoc eſt, *frater Regis*. Sic in Hiſpania Regis fratres vocantur *Infantes*, *El Infante Don Carlos*, *El Infante Cardinale*.

Si tamen inferiores cum *Comitibus*, *Marchionibus*, *Ducibus* vel *Principibus* ſermonem habent, tunc dicunt *Monſeigneur*: id quod etiam erit intelligendum de *Eccleſiaſticis*, quibus etiam more *Italorum* Epithetum addunt v. g. *Monſeigneur l'Eminentiſſime Cardinal Duc de*

de Rechelieu; *Monseigneur l'Illustrissime Archevesque de Bordeaux*: sed scribendo solùm idque præsertim in subscriptionibus *Epistolarum*; & principio *Dedicatoriarum*. Si autem sint pares, ut Duces cum Ducibus, Cardinales cum Cardinalibus, &c. sibi invicem dicunt *Monsieur*, & non *Monseigneur*: quandoquidem hæc ultima vox dominium exprimat, & alicujus ab aliquo dependentiam significet.

De Vocibus Fœmininis Signora, Madonna; Señora, Doña; Madamoiselle, Madame; *quæ superioribus respondent.*

QUamvis pari ratione utantur Itali *Signore* & *Signora*, sicut Hispani *Señor Señora*, *Don Doña*. Hoc tamen est notandum, quòd Italorum *Signora* præsupponit quasi puellam, quæ adhuc non nupserit; vel si nupta, personam nobilem indicat; aut saltem quæ non sit ex infima plebe, ut Sutorum, Sartorum, & aliorum artificum conjuges, quæ alio nomine solent appellari *Madonna*, *Madonna Honorata*, *Madonna Tullia*: quo quidem titulo κατ' ἐξοχὴν, pro *Maria Virgine* uti solent, *La Madonna*, eodem modo, quo Galli dicunt *Nostre dame*, & Hispani *Nuestra Señora*. Sed jam adulatur usus, & similes respectus pedibus calcantur: Nam hodie Meretrix, Comica, & qualibet alia vilis fœmina, etiamsi Interpolatrix, modo formositas sufficiens appareat in vultu, & luxus in vestibus, æquè benè vocatur *Signora* ac Comitissa.

Señora & *Doña* Hispanorum eodem prorsus usurpantur modo ac *Señor* & *Don*: & sicut *Don* quibuscumque tribuitur Nobilibus & Regi ipsi, Ita *Doña* etiam de Regina

gina dicitur: ambo ut masculina possunt conjungi. Nec non blanditiæ, & reverentiæ causâ, aut denique obedientiæ primo utriusque generis titulo solent addere Possessivum primæ personæ, *Por vida del Rey mi Señor, a mi Señor Don Gaspar de Vellasco, a mi Señora Dona Maria Sanchez.*

Galli duplicem similiter habent vocem, nimirum *Madamoiselle* & *Madame*. Prima propriè tribuitur *Virginibus* ex Nobili oriundis prosapiâ, & extenditur usque ad Regiam familiam exclusivè; exclusivè, inquam, nam Regis filiæ, si quæ sint, per Anthonomasiam dicūtur *Dames, Madame*; quemadmodum filia Principis vocatur *Madamoiselle*. Et jam in Gallia, si illud vocabulum *Madamoiselle* proferas solum est subintelligenda filia *fratris Regis*. Verùm ab aliquot annis, adeò familiaris esse incipit *Madamoiselle*, ut jam *Circulatrices* & *Meretrices publicæ* illud sibi audeant usurpare: & in quibusdam Galliæ Provinciis, ut *Languedocchio, Biturigio, Vasconia, Provincia*, & aliis quamplurimis adeò vili venditur prætio, ut quibuscumque indifferenter tribuatur modo sint divites, formosæ & superbis indutæ vestibus, maximè quando non nupserunt.

Madame de omnibus generatim dicitur, quibus alter negatur titulus, modo tamen talis persona non sit ex fæce populi, quo in casu rescinditur Possessivum, & dicitur solum *Dame, Dame Jeanne, Dame Barbe*; sicut dicimus pro genere masculino *Maistre, Maistre Jean, Maistre Blaise*. Etiam extenditur ad Personas Nobiles à Baronissis ad Reginam usque: sed notandum ejusmodi Personas hoc titulo frui non posse, quin prius inierint matrimonium, præter filiam Regis, ut suprà diximus, alias semper sunt *Damoiselles*. Hanc etiam dignitatem sibi usurpant, Præsidentium uxores, Consiliariorum status, ærarii præfectorum & aliæ quamplurimæ, neque jam obstat

quo

quo minus viri populares ad illud faſtigium ſuas poſſint extollere conjuges, ut ſint *Dames Damées*, ut vocant; quamvis Aceti & Sinapi mercator, modò ſufficientem in arcula pecuniam habeat, mediante quâ officium aliquod pingue ſibi queat comparare, cum ſex equulis, qui chariſſimam conſortem in curru vehant, unde nobis concludere licet, quod titulus non decoret neque exornet perſonam, ſed perſona titulo auctoritatem præbeat.

Supradicti *Gallorum* tituli *Monſieur*, *Monſeigneur*; *Madamoiſelle*, *Madame*, in Narrationibus ut plurimùm Poſſeſſivum amittunt, *Promeſſe de mariage faicte par ledit Signeur a la dicte Dame, en preſence du Sieur de Accords, & de Damoiſelle Chriſtine de Chabrieres.*

De quibuſdam aliis Gallorum, Italorum, & Hiſpanorum *titulis.*

GAlli quibuſdam aliis utuntur attributis, ut *Meſſire* & *Sire*: quorum *i* ſi mutes in *e*, habebis *Italorum Meſſere* & *Sere*. Hæc ultima confunduntur, & primum quidem ad Populares uſque extenditur, quibus videlicet generalem titulum tribuere nolunt, *Meſſer Giacomo*, *Meſſer Fabio*. Gallorum *Meſſire* de Nobilibus ſolùm poteſt efferri, *v. g. Meſſire Jacques de Bethumes Comte de Selles*, *Meſſire Pierre le Feron Preſident aux Enqueſtes*: & etiam de Eccleſiaſticis gradibus, ut ſunt *Parochi* & eorum *Vicarii*, *Meſſire Jean*, *Meſſire Guillaume*: Si autem de Plebe infimâ habendus ſit ſermo, tunc dicunt *Maiſtre Henry*, *Maiſtre Thibaud Premier Crocheteur juré du port au foin.* Quæ quidem vox *Maiſtre* literatis quoque tribui ſolet, maximè *Curialiſtis*, ut ſunt *Procuratores* & *Cauſidici*, *Maiſtre Eſtienne Braquet advocat en Parlement*.

Notandum

Notandum præterea *Burgundos*, & quoſdam alios ultimum *Gallorum* vocabulum *Sire* attribuere etiam infimis Popularibus, ut *Itali* obſervare ſolent pro *Meſſere*: ſed propriè loquendo *Sire* Regi ſoli convenit; quo in caſu dicunt etiam *Itali Sire*, non mutato *i* in *e*, ut nimirum à populari voce *Sere* dignoſci queat.

Item *Romano Pontifici* Galli dicunt *Saint Pere, Voſtre Sainteté*: Itali *Beatiſſimo Padre, Voſtra Santità*: Hiſpani *Santiſſimo Padre, Vueſa Santidad.*

Imperatoribus & *Regibus* Hiſpani tribuunt *Mageſtad*; cujus mediam & ultimam Itali reſcindunt conſonam *Maeſtà*; Galli mutant *g* in *i*, & terminationem Italorum in *é*, *Majeſté.*

Ducibus *Venetorum* & *Genuenſium Serenità*: Filiis aut Fratribus Regis, & aliis Principibus *Itali* dicunt *Altezza*, & in concreto *Sereniſsimo* aut *Sereniſsima*: Hiſpani ſimplici utuntur conſonâ *Alteza*: Galli duplicem *ſſ* ſubſtituunt *Alteſſe*. Verùm hic titulus non adeò latè extenditur apud *Gallos*, ut apud *Italos* & *Hiſpanos*: Nam talis Princeps ut *Alteſſe* ſibi uſurpare poſſit, ſupremus & abſolutus debet eſſe: nam ſi ab alio dependet, ut in Gallia Princeps *de Condé, de Jainuille, de Guimené*, & alii ſimiles hujuſmodi encomio nequeunt gaudere, ſed dicitur *Voſtre Excellence*, vel *Voſtre Grandeur*; ſecundùm Italorum & Hiſpanorum uſum, qui etiam *Ducibus* illud attributum ſolent concedere, *Voſtra Eccellenza, Vueſa Excelencia*: Si tamen ſit abſolutus ut Dux *Sabaudiæ, Parmæ, Mantuæ, &c.* ſuperiori utuntur titulo *Altezza.*

Neque etiam *Monachi* à titulorum faſtu abſtinere volunt: *Generales* ordinum ſibi attribuunt *Reverendiſsima Paternità*; Provinciales *Reverenda Paternità*; Guardiani *Voſtrà Paternità*; Patres *Voſtra Reverenza*: id quod etiam de *Gallis* & *Hiſpanis* erit intelligendum. Sed parum

rum ad nos *Monachorum* familiaritas, ideo quæ illos spectant prætermittamus, & quæ magis nostro conveniunt proposito absolvamus.

Appendix de Stilo, quem in conscribendis Epistolis observant singuli.

GAlli in prima lineâ, & quidem solâ scribunt *Monsieur, Monseigneur, Madamoiselle, Madame, Sire*; quæ iterum apponuntur in fine, lineâ etiam separatâ: deinde sequitur à latere, scilicet dextro, & paulò inferiùs *Vostre tres humble & tres obeissant serviteur*; *Vostre plus humble & bien affectionné*; *Le moindre, mais le plus obeissant, & le plus affectionné de tous vos serviteurs*; *Vostre Redeuable a jamais*; & ejusdem generis obsequia. In subscriptione repetuntur supradicta vocabula, *A Monsieur Monsieur*; primum videlicet in separata lineolâ: Sed Regi simpliciter scribi solet *Au Roy*.

Hispani & *Itali* lineâ separatâ, & ad formam tituli ducunt exordium. Hispani scribunt *Señor, Señora*; sed non repetuntur, neque in conclusione, neque in subscriptione: sed in conclusione scribunt, & distinctâ Lineolâ aliquantum ab ipsâmet narratione sejunctâ *De v. m. De vuesa Excelencia, &c.* eodem planè modo quo *Itali* scribere solent *Di v. s. Di v. s. Illustrissima, &c.* deinde paulò inferiùs apponunt obsequium, *Su mas humilde criado*, aut aliquid simile. Verùm in subscriptione nomen personæ simpliciter ponunt, *A Pedro de Valencia*: præponunt tamen nomini *Don* & *Doña*, quando nimirum adsunt conditiones superiùs allatæ, *A Don Diego de Velasco Capitan de la guardia de su magestad*; nec non obsequii & reverentiæ gratiâ præponere aut postponere li-

cet *Mi Señor, Mi Señora, A Don Gaspar de Benavides mi Señor, A mi Señora Doña Catalina Reales.* Si autem ſit perſona (ut vocant) titulata, *v.g. Marchio, Comes* aut *Dux,* neque *Don* ſubſcribunt, neque etiam nomen talis perſonæ, ſed ſimpliciter dicunt *Al Duque de Lerma mi Señor, Al Conde de Fuentes.* Hoc tandem peculiare habent, quod ſubſcriptionem claudant ſequenti præcatione *Guarde Dios*, vel *A quien Dios guarde, A Domingo Sanchez guarde Dios, Madrid; Al Duque de Medina Sidonia mi Señor a quien Dios guarde, En Sevilla.*

Itali ſemper Epithetum addunt, *Sereniſsimo Signore, Illuſtriſsimo Signore*: ſed majoris obſequii & urbanitatis gratiâ iterum addunt *Padron mio Colendiſsimo, oſſervandiſsimo mio padrone; Al Molto Magnifico Signore e Padron mio oſſervandiſsimo, Il Signor Giacomo Vitelli, Roma.* Et ab his & illis in hoc potiſſimum diſcrepant *Galli,* quod perſonæ nomen proprium nunquam exprimant, ſed cognomen ſolum, *A Monſieur, Monſieur de Cheury intendant des finances, A Paris; A Monſieur Perrot A Bordeaux.*

De Pronominibus.

PRonominum quinque genera conſtituunt Grammatici, *Poſſeſsiva, Relativa, Demonſtrativa, Indefinita,* & *Perſonalia*: quæ omnia ferè ad duas ſpecies poſſunt reduci, nimirum *Conjunctiva* & *Abſoluta.* Ac primùm de *Poſſeſſivis* ſermonem inſtituamus.

Galli & *Hiſpani* duo Poſſeſſivorum genera nôrunt; *Itali* verò unicum genus habent, quibus utuntur & *Conjunctivè* & *abſolutè,* videlicet *mio, tuo, ſuo, noſtro, voſtro* cum ſuis Fœmininis, & indeclinabili *Loro*, quod *Galli* dicunt

dicunt *Leur*, & antiquitus *Lor* ut obſervavit *Paſquier*.

Conjunctiva *Gallorum* Poſſeſſiva, quæ ſingularem exprimunt poſſeſſionem, unicâ gaudent terminatione pro ſecundo numero, *mes*, *tes*, *ſes*; pro ſingulari duplici *mon*, *ton*, *ſon*, generis maſculini; *ma*, *ta*, *ſa*, generis fœminini. Verùm *Hiſpani* utrumque genus, tam in ſingulari quam in plurali, ſub una terminatione complectuntur *mi*, *tu*, *ſu*; *mis*, *tus*, *ſus*. Abſoluta *Gallorum* poſſeſſiva, quæ tribus ſupradictis ſolent reſpondere, pro quolibet genere peculiarem habent terminationem. *Mien mienne*, *tien tienne*, *ſien ſienne*; ſicut etiam *Itali* & *Hiſpani* Mio mia, *Mio mia*; tuo tua, *tuyo tuya*; ſuo ſua, *ſuyo ſuya*: quorum omnium pluralis numerus eſt regularis.

Gallorum & Hiſpanorum *Poſſeſsiva*, quibus poſſeſſionem ad plures referre incumbit, *Conjunctivorum* & *abſolutorum* obeunt munus, ut apud Italos, *Noſtre*, *Voſtre* pro prima & ſecundâ perſonâ; quibus *Itali* & *Hiſpani* duplicem aſſignant terminationem in utroque numero, ad normam aliorum adjectivorum, *Noſtro* nueſtro, *Voſtro* vueſtro. &c. Sed *Galli* in plurali diſtinctionem adhibent, & quando ſunt *Conjunctiva* dicunt *nos*, *vos*: quando verò ſunt *abſoluta* regulâ utuntur generali, & addunt *s*, *Les noſtres*, *les voſtres*.

Tertium tandem hujuſce generis *Poſſeſſivum* agnoſcunt *Galli* & *Itali*, pro tertia ſcilicet perſonâ, nimirum *Leur*, *Loro*; quæ quidem voces etiam poſſunt eſſe *Perſonales*, ut ſuo loco dicemus. Hoc Pronomen *Hiſpani* coguntur exprimere per antecedens poſſeſſionis ſingularis *ſu*, quo indifferenter utuntur, & cum ad unum & plures refertur poſſeſſio, *Vn ſoldado con ſu capitan*; *yuan los hombres en compañia de ſus mugeres*.

Poſſeſſiva primi generis articulo minori gaudent, *Abſoluta* majori; idque apud *Gallos* & *Hiſpanos*: nam *Itali*

majorem

majorem illis articulum præponunt ſæpiſſimè etiam ſi *Conjunctivorum* inſigniantur naturâ, *Il mio padre, la tua madre, i ſuoi fratelli*; quod Gallis ſonat, *Mon pere, ta mere, ſes freres.* Similem conſtructionem à veteribus Gallis forſan mutuati ſunt, qui olim poſſeſſiva, quæ jam apud nos pro *abſolutis* habentur, nominibus jungebant cum articulo majori, ut legere eſt apud *Guerinum de Mortebrune*, celeberrimum & antiquiſſimum ſcriptorem; *Le mien Siegneur, le tien corps, les ſiennes proüeſſes*, & alias quamplurimas ejus generis locutiones, quas Recentiores omnino reſpuunt, niſi aliquando poſt *Numerale vn*, & *Demonſtrativum ce*, *Vn mien amy, &c.* id quod etiam admitti poteſt poſt *Numerale Deux*, *Deux ſiens freres*, ut obſervārunt *Martinus* & *Oudin.*

Ex *Relativis*, quibus utuntur *Galli*, primùm nobis occurrunt *qui* & *que*; quorum ultimum Accuſativis ſolùm inſervit: *qui* è contrà, exceptis accuſativis, de omnibus caſibus poteſt dici.

Hæc duo *Relativa* unicâ voce exprimunt *Itali*, nimirum *Che*, *non c' è neſſuno che lo poſſa fare*, *Il n'y a perſonne qui le puiſſe faire*; *Il ſervitore che voi mi havete mandato*, *Le valet que vous m'avez envoyé.* Sed hujus Pronominis *Italorum* uſus ad nominativum & accuſativum ſolùm reſtringitur; Nam ubi de obliquis ſit agendum, tunc aſſumunt dativum Latinorum *Cui*, *Voi cui fortuna hà poſto in man il freno*; *Alme leggiadre a cui l'alto motore*; *Crudel donna per cui mi vò ſtruggendo*; *Tempio in cui ſol ſi piagne e ſi ſoſpira.*

Verùm *Hiſpani* illis duplici reſpondent voce, *quien* & *que*: ſed ultimum latiùs extenditur quàm *Gallorum que*; nam de nominativo æquè bene ac de accuſativo dicitur, ſicut *Italorum Che*, *El hombre que viue bien*, *l'huomo che viue bene.*

Hæc

Hæc ſupradicta *Relativa* etiam poſſunt eſſe *Interrogativa*, ſed in ſimili caſu Gallorum *qui* & Hiſpanorum *quien* ad ſolam referuntur perſonam: aliud vero Gallis & Hiſpanis commune *que*, cum Italorum *che* neutraliter, & pro re tantùm accipiuntur, *que faictes vous?* que hazeys? *che fate voi?* Cum hoc tamen diſcrimine, ut Gallorum *que* de nominativo & accuſativo ſolummodo dici poſſit: alia verò de omnibus efferuntur caſibus: quibus ſatisfaciunt Galli cùm Relativo aut Interrogativo *Quoy*, *De que me habla v. m? De quoy me parlez vous? v. g.* quando Præpoſitioni jungi poſſunt, *Perche*, Porque, *Pourquoy*; *nelche*, en que, *en quoy*; *con che*, con que, *auec quoy*. Si autem occurrat, ut Italorum *che*, & Hiſpanorum *que*, de perſonis dici queant, *v. g.* in iſtis exemplis, *Che huomo è coſtui? Que hombre es aquel?* Interrogativorum *quale* & *qual* occupant locum, ſiméſque Phraſes per iſtud ultimum Galli ſolent exprimere, *Quel homme eſt ce cy? Sur quel ſubject diſputez vous?*

Quod autem ad tertium *Relativum* ſpectat, quod à Latinis ſolet efferri per *qui, quæ, quod*; nihil diſcrepant: ſi quidem Hiſpani dicunt *Qual* pro utroque genere; Itali addunt *e*, ut fiat *Quale*; Galli mutant *a* in *e*, *Quel, Lequel*; & addunt *e* pro fœminino duplicando conſonam, *Laquelle*. Et ſingula articulo majori declinantur, niſi quando ſunt Interrogativa, aut Diſtributiva, ut apud Italos, *v.g. Qual ritorna in caſa, qual s'annida in ſelua; Qual' andò in Francia, qual' in Inghilterra, qual' in terra Tedeſca.*

Galli præterea tres habent particulas, quæ Relativorum nomine gaudent, *En, y, Dont.* Prima ad rem, locum & perſonam referri poteſt; *Preſtez moy vne Grammaire, ſy vous en auez vne; Venez vous de Paris? Oüy Monſieur, I'en viens; Combien auez vous de freres? I'en ay cinq,*

Huic

Huic optimè reſpondent *Itali* cum particula *Ne* factâ ſolùm literarum tranſpoſitione, *Preſtatemi una Gramatica, ſe voi ne havete una. Venite voi di Parigi? Signorſi, jo ne vengo; Quanti fratelli havete voi? Jo ne hò cinque.*

Secunda refertur ad rem & locum; *Avez vous eſté a Londres? J'y fu la ſepmaine paſſée: Ne voulez vous pas ſatisfaire ala promeſſe que vous m'auez faicte? Oüy Monſieur, j'y ſatiferay quand il vous plaira.* Ab Italis exprimitur per *ci* aut *vi*; *Sete ſtato a Londra? Jo ci fui la ſettimana paſſata: Non volete ſodisfare alla promeſſa chevoi m' havete fatta? Signorſi, jo ſodisfarò quando vi piacerà.*

Similes particulas non nôrunt *Hiſpani*, ſed Latinorum more ejuſmodi Phraſes ſolent declarare, repetendo ſcilicet nomen ipſum, vel adverbium, *v. g. Des mihi Grammaticam, ſi aliquam habes: Venis Pariſiis? Illinc venio:* Hiſpani ſic reſolvunt, *Deme v. m. una Grammatica, ſi tiene alguna: Viene v.m. de Paris? Si Señor, yo vengo de alla:* idemque de ſimilibus ferendum eſt judicium.

Tertia *Relativa Gallorum* particula, quæ eſt *Dont*, ad rem & perſonam refertur, *L'homme dont je vous ay parlé ce matin; Vous me faictes vn plaiſir, dont je me ſouviendray toute ma vie.* Sed Itali & Hiſpani Latinorum ſequuntur uſum, *homo de quo tibi loquutus ſum mane; In me beneficium contuliſti, cujus recordabor quamdiu vixero.* Itali dicunt, *L' huomo di cui vi hò parlato ſtamattina; Voy m' havete fatto un piacere, del quale jo mi ricorderò tutta la mia vita.* Hiſpani denique ſic exprimunt, *El hombre de quien yo os he hablado eſta mañana; v.m. me ha hecho vn ſervicio, de que me tengo acordar toda mi vida:* aſſumendo videlicet Relativum perſonæ & Relativum rei ordine & modo ſuperiùs allato.

Si verò illud Gallorum *Dont* in genitivo ponatur, & immediatè

immediatè ſequatur nomen, à quo regi poſſit, ut in hoc exemplo, *C'eſt un liure, dont l'aucteur eſt fort eſtimé*; tunc Itali utuntur Relativo *cui*, & illud inter Articulum & nomen collocant; *è un libro, il cui autore è molto pregiato.* Hiſpani verò peculiari utuntur voce ſcilicet *Cuyo, cuya, &c. Es un libro, cuyo autor es muy eſtimado.*

Hoc ultimum Pronomen etiam uſurpant Hiſpani, tanquam Interrogativum poſſeſſionem denotans, numeroque ſimiliter & genere cum re poſſeſſâ convenit, *Cuyo es eſte cavallo? Cuya es eſta caſa? Cuyos ſon eſtos niños?* Sed Itali Latinorum retinent phraſim, *Di cui è queſto cavallo? &c.* Galli dativum apponunt, *A qui eſt ce cheval?* Ut etiam pro reſponſo ad ſimiles interrogationes ſolent obſervare; *C'eſt a moy, c'eſt a luy*: Itali verò & Hiſpani cum Latinis conveniunt, *Meum eſt, è mio, es mio: Suum eſt, è ſuo, es ſuyo*; & ſic de aliis.

De *Demonſtrativis* dicendum, quorum duo ſunt genera ut & poſſeſſivorum, *Conjunctiva* nimirum & *Abſoluta.* Apud Gallos duo potiſſimum reperiuntur ultimi generis *Demonſtrativa, celuy, ceſtuy*; quorum primum ſubſequitur ſemper unum ex Relativis, *celuy qui faict bien*; *celuy que vous voudrez*; *celle que vous aimerez le mieux*; *ceux qui vous ſeront plus affectionnez.* Alterum non eſt in uſu, niſi ſit junctum cum particulis *cy* aut *la*, *ceſtuycy, ceſtuyla*; *ceſtecy. ceſtela*: Neque etiam præcedens, quando videlicet Relativorum ſocietate non fruitur; *Ceſtuy cy eſt a moy, & celuy la eſt a vous*; *Vous me donnerez ceſte cy, & vous retiendrez celle la pour vous.*

Primum exprimunt Itali per *Colui*, mutando *e* Gallorum in *o*, & ſunt ejuſdem naturæ. Secundum per *coſtui* & *coteſtui*: *coſtui* videlicet, quando Gallorum *ceſtuy* jungitur cum particula *la*; *coteſtui* quando ſequitur alia, nimirum *cy*, *ceſtuycy*. Horum trium Italicæ Dialecti Pronominum

nominum differentiam clariùs explicant *Adrianus Politi* & *Jacobus Pergamini*, nimirum quòd *cotestui* dicatur de persona quæ juxta me adest; *costui* de illo, qui proximus est personæ ad quam meus dirigitur sermo; *colui* verò, vel potius *quello*, de persona magis remotâ, & in tertio existente loco.

Ultimum istorum *Hispanis* sonat *aquel*: *costui* exprimitur per *esse*: *cotestui* per *este*. Verùm hæc Hispanorum Pronomina & *Conjunctivorum* & *Absolutorum* naturam possident: quando sunt *Conjunctiva*, Itali primum exprimunt per *quello*; secundum per *questo*; tertium per *cotesto*. Sed *Galli* pro primo dicunt *ce*, *Ce gentilhomme qui me parla hier*: cui addunt *t*, quando videlicet nomen sequens incipit à vocali, *cet homme*, *cet infame*: Si autem addas Substantivo supradictas particulas, alia duo tibi aderunt Demonstrativa, *Ce libure la*, *cet homme cy*; Si verò particulam immediatè post Pronomen subjungas *cela*, *cecy*, accipiuntur neutraliter, *Italisque* sonant *Questo*, *cotesto*; Hispanis *esso*, *esto*. Si tandem post *ce Gallorum* sequitur Relativum, neutraliter & pro re sumitur, ut in hoc exemplo, *Donnez moy ceque vous m'avez promis*: & tunc *Itali* dicunt *Quello* aut *Ciò*, *Datemi quel che m' havete promesso*.

Quod spectat ad quartum *Pronominum* genus, scilicet *Indefinitorum*, duo præcipua nobis hîc consideranda veniunt, *Latinorum* negativum *Nemo*, & Reciprocum *ipse*; vel particula conjunctiva *met*; *egomet*, *ipsemet*. Primum Hispani dicunt *Nadie*, Galli *Personne*, Itali *Nessuno*; Nemo est, *No ay nadie*, *Il n'y a personne*, *Non c' è nessuno*: Sed cum hoc discrimine tamen, quòd Italorum *nessuno* etiam nominibus jungi possit; alia duo sunt purè *absoluta*.

Pro *Reciproco* prorsus conveniunt quoad vocem & vocis

cis naturam: Galli dicunt *mesme, moy mesme, luy mesme, le Roy mesme*: Hispani *mismo, yo mismo, el Rey mismo*: Itali *medesimo*; cui secundum addunt, & quidem usitatius primo, nimirum *Stesso, egli stesso, loro stessi, le donne stesse*: & eleganter illi præponitur *i.* quando immediatè ponitur post Articulum *v. g. l' istessa casa, l' istesso contadino*; *l' istesso vi dirò sempre*, neutraliter scilicet acceptum, quod Galli dicerent *Je vous diray tousjours le mesme*; Hispani sic, *Yo le diré siempre lo mismo.* Ejusmodi vocalis additionem observant sæpissimè Poëtæ pro vocabulis, quæ simili incipiunt modo, hoc est ab *s* sequente aliâ consonâ, *ispirito, isdegno, isperanza, &c.* de quibus tibi consulendus est *Bembus* in suis Prosis.

Personalia tandem aut sunt *Conjunctiva*, aut sunt *Absoluta*. *Conjunctiva*, ea nimirum quæ cum verbis immediatè jungi solent, aut nominativo solùm inserviunt, aut dativo & accusativo.

Gallorum *Conjunctiva* primi generis sunt *je, tu, il, elle*, cum suis pluralibus *nous, vous, eux, elles.* Italorum *jo, tu, egli, ella*; quæ in plurali recipiunt, *noi, voi, eglino, elle* vel *loro* pro utroque genere. Hispanorum *yo, tu, el, ella*: in plurali *nos* aut *nosotros*, *vos* vel *vosotros, ellos, ellas*, cum fœminino regulari *nosotras, vosotras.* Sed hîc notandum *nos* Hispanorum nunquam proferri in nominativo sine alia voce, nisi ratione celsitudinis aut dignitatis, *v. g.* *Nos Don Phelipe por gracia de Dios Rey de las Españas*: Neque *vos*, nisi contemptus gratiâ, ut alibi annotavimus, quando videlicet in secunda singulari usurpatur: Sed optimè in dativo & accusativo, ut Gallorum *nous, vous*, *Nos quiso llevar consigo*; *Il nous voulut mener avec luy*: quo in casu prima rescinditur litera secundæ personæ, *yo os digo*; *je vous dis*; *yo yré mañana a visitaros, je vous iray demain voir.* Si tamen cum Præpositione

positione jungatur integrè proferendum eſt, *yo muero por vos.*

Pro *Conjunctivis Perſonalibus* ſecundi generis, ſicut etiam pro *Reciproco tertia perſona*, quod Latinis ſonat *ſui, ſibi, ſe*, quoad perſonas ſingulares, *Galli* & *Hiſpani* ſimilibus planè utuntur vocibus nimirum *me, te, ſe; je me resjoüy, tu te resjoüis, il ſe resjoüit*; *Yo me huelgo, tu te huelgas, el ſe huelga.* Itali mutant *e* in *i, mi, ti, ſi*; & nonnunquam *Gallorum* & *Hiſpanorum* terminationem retinent, quando videlicet ſequitur alia particula pronominalis diverſæ terminationis, ut *lo, la, le, ne* & ſimiles, *Jo non me ne curo, Jo te lo darò quanto prima*: id quod etiam intelligendum erit de pluralibus primæ & ſecundæ perſonæ, *ci, vi*; *Subito ce lo dette, humilmente ve ne prego.*

Sola ſupereſt *tertia perſona*, voces nimirum, quæ dativo & accuſativo poſſunt inſervire. Pro accuſativo communiter utuntur iiſdem vocibus, quibus uſi ſunt in Articulo, Galli ſcilicet *le, la, les*; Hiſpani *lo, la, los, las*; Itali *il*, aut *lo, la, li* vel *gli, le*; ut in hoc exemplo, *je la veux marier*, yo la quiero caſar, *jo la voglio maritare*: & ſic de cæteris idem ferendum judicium, ſecundùm genus & numerum de quo erit quæſtio.

Italorum particulæ plurales *li, gli, le* ſingulari inſerviunt dativo ſecundùm genus cuilibet conveniens; quamvis maſculinum *gli* ſæpius indifferenter pro utroque uſurpetur genere, ac etiam in dativo plurali ut obſervavit *Laurentius Franciozini in ſuo Vocabulario*: tamen in plurali ut plurimum dicunt *Loro, Hier lor diſſi che veniſſero.* Galli diſſillabum in unam contrahunt ſyllabam, & ſimplicem vocalem in diphtongum reducunt *leur, je leur dis hier qu'ils me vinſſent trouuer*: Sed pro dativo ſingulari dicunt *luy* in utroque genere: quo in caſu Hiſpani

Gallorum

Gallorum Articulum usurpare videntur, vel saltem proprium transponere, nimirum *le* pro singulari, *je luy diray, yo le tengo de dezir:* In plurali *les, y luego les dixo que callassen*; & aussy tost il leur dist qu'ils se teussent.

Neque hîc prætereunda insignis quædam & valde notanda harum particularum differentia, earum videlicet quæ supradictis inserviunt obliquis: quòd nempe apud *Italos* & *Hispanos* hujusmodi particulæ frequenter collocentur post verbum, & quasi in unam eandemque coalescant dictionem, *Per faru i favore, jo voglio mandargli quel ch'io gli hò promesso*; *por hazeros favor, yo le tengo de embiar, &c. v. g.* quando *Hispani* mutant *r* finale Infinitivorum in *l*, quando sequitur particula *le, dezille, hazelle*, pro *dezirle, hazerle*: & quando transponunt *d* in secunda plurali Imperativi, *llamalda, dezilde*, pro *llamadla, dezidle*. Galli verò ante verbum illas semper collocare solent; neque ullo modo post verbum eas possunt admittere, nisi in Imperativo, *Dictes luy qu'il vienne, faictes le entrer.*

Absoluta pluralia à nominativis Conjunctivorum nihil differunt apud *Hispanos*; neque etiam apud *Gallos* & *Italos*, nisi in tertia personâ, pro qua *Itali* dicunt *loro*: Gallia *eux* pro genere masculino, *je ne me soucie point d'eux*; *jo non mi curo di loro*: quoad fœmininum verò par est ratio cum nominativo Conjunctivi; *je me moque d'elles*; quod *Itali* explicant etiam per *loro*, *jo mi burlo di loro*.

Pro singularibus porro *primæ* & *secundæ personæ*, nec non etiam *Reciproci*. Itali & Hispani iisdem ferè utuntur vocibus, nimirum *mi, ti, si*, pro Hispanis; *me, te, se*, pro Italis. Galli Græcorum ferè terminationem retinent, *moy, toy, soy*: Cum hoc tamen discrimine, quòd ejus generis Gallorum Pronomina etiam de nominativo dici

queant; *v.g. Ce n'est pas moy, moy que je le souffre jamais.* Itali verò & Hispani supradicta solùm usurpant in obliquis; nisi inepti quidam vulgares in Italia, *Bononienses, Genuenses, Mediolanenses*, & alii, qui etiam utuntur illis in nominativo: Sed *Florentini, Sanenses*, & *Romani* pro nominativo *Conjunctivorum* nominativum iterum assumunt, *jo sono*, yo soy, *c'est moy*: quæ ultima *Gallorum* locutio valde notanda est, quòd nempe tertiam singularem verbi Substantivi jungant indifferenter, cum omnibus *personarum* Pronominibus, *C'est moy, c'est toy, c'est luy, c'est elle, c'est nous, c'est vous mesme*, &c.

Quod denique ad tertiam spectat, *Galli* dicunt *luy* pro genere masculino; pro fœm. *elle*: Itali *lui* & *lei*: Hispani sicut in Conjunctivo *el, ella*: quæ omnia ultimi generis Pronomina *Præpositionum* consortio ut plurimùm solent gaudere; *je feray pour luy ce qui me sera possible*; *jo farò per lui quel che mi sarà possibile*; *yo haré por el lo que me ha de ser possible.*

Peculiaris quædam Particularum Analogia.

EAdem *copulativâ* utuntur *Galli* ac *Latini*, nimirum *et* sed consonam pronunciando *Galli* reticent. *Itali* rescindunt *t*, aut illud servant, vel saltem in *d* mutant quando videlicet dictio sequens incipit à vocali. *Ed io fui lasso colui chè riferillo.* Hispani unicâ etiam utuntur vocali, & mutant *e* in *y*.

Disjunctivam, quæ *Latinis* sonat *aut*, Itali & Hispani unicâ similiter exprimunt literâ, finalem *Latinorum* consonam rescindendo, & mutando diphtongum in *ò*, ut sæpius soliti sunt facere, *v.g.* quando dicunt ex thesaurus *tesoro*, aurum *oro*, Laurentius *Lorenzo*, & similia. Huic

particula

particulæ *Itali* solent etiam addere *d*, sicut in Copulati-
va, quando scilicet dictio sequens incipit à vocali, *Pom-*
mi in humil fortuna, od in soperba. *Galli* verò, ut moris
est apud illos, addunt *u* simplicem *Italorum* & *Hispano-*
rum vocalem in diphtongum reducendo *ou*: quæquidem
Gallorum Disjunctiva in Adverbium loci migrabit, si
gravi notetur accentu *où*, hoc est *ubi*.

Alia est *Disjunctiva* Latinorum, videlicet *nec*; Cui
Itali finalem rescindunt consonam *ne*: *Galli* mutant *e*
in *y*, *ny vous ny moy*: & etiam *Hispani*, *Ni el vno ni el*
otro. Neque hîc prætereundæ quædam *resumptiva* lo-
cutiones, *v.g.* *Petrus hoc non fecit, neque ego*; *Volo ire*
pransum, & ego quoque. Negativum sic exprimunt Gal-
li, *Ny moy non plus*: Itali. *Ne manco io*: Hispani. *Ni yo*
tanpoco. Affirmativam sic declarant, *Et moy aussy*, *An-*
ch'io, *yo tanbien*, & sic de similibus.

Sed notandum hanc ultimam *Italorum* particulam, sci-
licet *Ne*, alio posse usurpari sensu. Si simpliciter scriba-
tur, aut erit *Relativa* aut *Præpositio*; Si Relativa *absolu-*
ta est, & sola profertur, ut Gallorum *En*, *Voi ve ne penti-*
rete; *Vous vous en repentirez*: Si Præpositio, semper
cum *Articulo* jungitur, & ab illis inseparabilis est, *Nel*,
nello, *nella*, *nei*, *negli*, *nelle*: vel Apostropho notatur *Ne'*,
& tunc suas & Articuli vices gerit, ut à principio insinua-
vimus, in *Accentuum* scilicet *Cap.*

Etiam apud *Gallos* est in usu, sed Adverbialiter & *Ne-*
gativè sumitur, respondétque Latinorum Negativæ *ne*
aut *non*: ultimam *Itali* integram servant, *Non volete ve-*
nire, *non fare*, *non dire*. *Hispani* rescindunt *n* finalem,
No quiere v. m. venir, *No lo haga por vida de sus ojos*.
Hanc similiter Latinorum *Negativam* retinent *Galli*; sed
differt à prima *ne*, quòd videlicet semper jungitur verbo,
& ante illud poni solet; & verbo iterum postponitur alia

 Negativa

Negativa, *v.g. pas, point, rien, jamais*, & ejuſdem generis quamplurimæ, *Il ne m'a pas dict cela, je n'ay point receu de lettres, je n'ay rien à vous dire davantage, je n'ay jamais rien veu de ſemblable*: Altera verò *abſolutè* & ſine verbo ponitur, maximè in reſponſo negativo, *Non Monſieur, non Madame*: & aliquando etiam cum alia negativâ jungi poteſt, *Non pas que je voulusſe m'en ſervir*, ſicut Itali ſolent addere *Già*, *Non già ch'io voleſſi ſervirmene*; vel *mica*, quæ obſoletæ Gallorum *mie* ſuam debet originem, interponendo *c*, eodem modo quo dicunt à *bois*, *boſco*; habes exemplum in *Aminta* Taſſi, *Non mica vn dio ſelvagio, ò de la plebe degli Dei*: vel *Punto*, *Egli non penſava punto a quel che haveva da fare*, vel tandem *mai*, *non hò mai viſto tal coſa*.

Si particulæ *Ne* tranſponantur literæ erit *Gallorum* & *Hiſpanorum* Præpoſitio *En*, quam *Latini* dicunt *In*, mutando videlicet *i* in *e*. Sed *Itali* Latinorum *In* retinent, quæ cum præcedenti eadem eſt, ſed cum hoc diſcrimine, quòd *ne* Articuli ſocietatem expetat, ut jam diximus: In verò articulum reſpuit, & illius conſortium nullo modo ferre poteſt; ſicut etiam Gallorum *en*. Ideo Galli articuli dativum uſurpant, quando videlicet nomen, quod à ſimili regitur Præpoſitione ſine articulo exprimi nequit, *Il eſt au marché*, eſt in foro; *aux champs*, in campis; *a l'egliſe*, in templo: Nec non quando fit motus, loco ſcilicet *Latinorum* Præpoſitionis *ad*, *Il eſt allé ala ville*, Ivit ad Civitatem; *Au cabaret*, ad tabernam, &c. Hoc etiam *Italis* familiare eſt, *è andato al mercato, alla chieſa, à Roma*: nec non Hiſpanis, *Yo tengo de yr a la Comedia, a la Corte, al Palacio, a Madrid*.

Conditionalem Latinorum *Si*, retinent *Galli* & *Hiſpani*. *Itali* mutant *i* in *e*, *Se*: vel ſervant *i*, ſed tunc eſt Adverbium *Affirmativum*, *Hiſpanis* etiam commune; cum hoc

hoc ſolo diſcrimine, quod apud *Hiſpanos* nomini præponatur, *Si ſeñor*, *Si ſeñora*: apud *Italos* poſtponatur, *Signorſi*, *Signoraſi*. Sed jam Aulici *Hiſpanica* æmulantur gravitati, & æquè benè ac illi dicunt *Si ſignore*, *Si ſignora*.

Adverſativam Gallorum *mais*, quæ Latinis ſonat *ſed*, Hiſpanis communis erit, ſi diphtongum in ſimplicem vocalem reducas, *mas*: quæ etiam adverbialiter & *comparativè* uſurpatur, *mas lindo*, *mas hermoſo*, *mas veliaço*. Itali *Hiſpanorum* finalem rejiciunt conſonam *mà*; aut *Gallorum* ſervant diphtongum *mai*; ſed tunc erit Adverbium temporis, quod Latinis nunquam ſonat: *Nunquam fuiſti Romæ? Non ſete mai ſtato à Roma*: quæ ultima ſignificatio etiam apud veteres Gallos fuit in uſu, ut in hoc *Helinandi* textu, *Mais moult pourront aller, ains que tel maiſtre puiſſent mais recouurer*: ubi primum *mais* eſt Conjunctio, alterum eſt Adverbium. Sed hoc ultimum *Galli* jam cum alia componunt voce, nimirum *ja*, *jamais*; parique modo *Itali* dicunt *giamai*; Hiſpani *jamas*: aut Latinorum utuntur Adverbio, ultimam auferendo conſonam, & *q* in *c* mutando *nunca*; prout etiam obſervant Itali *vnqua*: quod ſimiliter *Galli* dixerunt *oncque*, ſed jam ferè eſt obſoletum.

Gallorum *comme*, Latinis *quomodo*, vel *ſicut* Itali ſibi attribuunt, ſed non duplicant conſonam *come*: Hiſpani mutant *e* in *o*, *como*.

Latinorum Adverbium *Quando*, Italis & Hiſpanis commune eſt: ſed Galli reſcindunt *o* finale, ut ex diſſyllabo monoſyllabum efficere queant *Quand*.

Præpoſitio *contra* Latinorum, Italorum & Hiſpanorum eſt: verùm Galli mutant *a* in *e*, *contre*: & ſæpè Itali in locum *a* ſubſtituunt *o*, *contro*.

Diſcretivam Gallorum *Ains*, quæ Latinis eſt *imò*,

tiam sibi usurpant Itali, sed addunt *i* in fine *anzi*, & simplicem vocalem in diphtongum reducunt, mutantque *s* in *z*, ut sat frequens est apud illos, *v. g.* quando fiunt ex *chanson cauzone*, *sans senza*, *chaulse calza*. Hispani utuntur transpositione, & interponunt *t*, *antes* : quæ omnia Adverbii quoque naturam assumere possunt, & Latinorum *antequam* æquivalere: Sed Gallorum *ains* in hac significatione jam est obsoletum, quamvis antiquitus fuerit in usu, ut in versu *Helinandi* jam citato, *ains que tel maistre puissent mais recouvrer* ; Lubentiùs dicunt *auparavant vel deuantque* ; vixque apud *Italos* simili usurpatur sensu, sed ut plurimùm illi præponunt *in*, *Innanzi* : quod quidem *innanzi* potest esse Præpositio *innanzi al giudice*, quam alio efferunt modo *dinnanzi al giudice*: sicut Hispanorum *Antes*, *Antes de medio dia*, addendo *s* Latinorum Præpositioni *ante*; quam Galli dicunt *devant*, *devant midy*.

Latinorum *supra*, Italorum est si solum mutes *u* in *o*, *sopra:* si vero mutes *a* in *e*, & *p* in *b*, Hispanorum erit *sobre* ; quæ consonantis mutatio etiam Italis usitata est, maximè apud Poëtas, ut in *Orlando* Ariosti *Sobra suo valor le sue speranze appoggiava*. Sed eam Galli in unam contrahunt syllabam, rescindendo videlicet vocalem & consonam, quæ priùs ab Hispanis fuerant immutatæ, *sur*.

Item si Latinæ Præpositioni *sine* auferas *e*, habebis Hispanorum *sin* : cui Galli addunt *s*, & *i* in *a* mutant, *sans*: & ab ea suam deducunt Itali *Senza*.

Particula Gallorum *Puis*, si mutes *i* in *e*, aderit Hispanorum *Pues* : Si rescindas consonam finalem, & *o* in locum *u* substituas, habebis Italorum particulam *Poi* : quibus aliam particulam præponere licet, *Depuis*, *despues* ; *dopoi*, *dapoi* : aut postponere, maximè *que*, pro Gallis & Hispanis, *Depuisque*, *puisque*; *despuesque*, *puesque* : quam

Itali

Itali efferunt per *che*, *Poiche*, *dapoiche*, *dopoiche*. Et notandum quòd particulæ *que*, *che*, cuivis particulæ indifferenter possunt subjungi; Necnon apud *Italos* tanquam *expletivam* usurpari, *Venga ò non venga, che non m' importa*: quo in casu Galli & Hispani hujusmodo reticent particulam, *qu' il vienne ou qu' il ne vienne pas; cela ne m' importe*; *venga ò no venga, no se me da nada*: ut solent observare pro *pure*, ut in pastore fido *Guarini*, *è pur ver che tu spiri, ò che senti pietate? ò pur m' inganno*.

Hæc item *Italorum* particula *che*, hoc peculiari gaudet privilegio, quòd nimirum Participio postposita æquivalet, *Subito che*; *desinato ch' io hebbi*, *detto ch' egli hebbe*: & reduplicata æquipollet Gallorum *tantque*, *v.g.* *Il Rè venne accompagnato da più di trecento Cavallieri, che Franzesi, che Tedeschi*; *Le Roy vinst acompagné de plus de trois cens Cavaliers tant François qu' Alemans*: Nec non juncta cum particula *da*, idem significat ac si *Galli* dicerent *a quoy*, vel *a quoy sommes nous propres*, *Da che diavolo tanto arrosto, quando l' alesso può bastare*; *Da che diavolo siamo noi, quando siamo vecchi*.

Præpositionem Latinorum *per* retinent *Itali*: *Hispani* mutant *e* in *o*, *por*, vel saltem Latinorum *pro*, ultimam transponunt consonam. *Galli* simplicem *Hispanorum* vocalem in diphtongum reducunt *pour*; eodem modo quo ex *Disjunctiva o* formant *ou*: vel vocalem simpliciter mutant in *a*, *par*; cui iterum addunt *Hispani a*, *para*, ut secundam habeant, & *Gallis* nihil cedant. Sed *Hispanorum por* & *para* in hoc differunt, quòd prima *causam efficientem* notet; *Lo que por mi persona yo no pudiere acabar, yo tentaré de hazerlo por otro*: vel *causam finalem*, sicut *Latini* dicunt *propter*, *Por mi se ha heco quistion*. *Para* personæ damnum aut utilitatem indicat, *el daño sera para mi y el provecho para v. m.* Galli *causam finalem*

ut

ut plurimùm exprimunt per *pour, faictes cela pour moy, & je feray quelqu' autre chose pour vous*; sicut etiam utilitatem & damnum personæ, *La perte sera pour moy, & le profit sera pour vous*: Efficientem verò per *par* declarant, *vn livure composè par vn tel*: quâ in parte *Itali* utuntur particulâ *da, vn libro composto dal signor tale*, eodem modo quo *Latini* usurpant *a* vel *ab, liber conscriptus à tali.*

Præpositio *Con* Italis & Hispanis communis est à Latina *Cum* deducta, mutando *u* in *o*, & *m* in *n* eâdem ratione, quâ Itali formant ex *Sum sono*, ex *damnum danno*; sed in Adverbiis compositis Latinorum *mecum, tecum, secum* Itali rejiciunt *m*, *meco, teco, seco*; quas loquendi formulas & ejusdem generis alias circumferunt *Romani* & *Sanenses* cum Pronomine *Esso, con esso me, con esso noi, con esso lui, con esso lei, con esso loro, &c.* Hispani verùm tria supradicta retinent Adverbia more *Italorum*, sed iterum Præpositionem præponunt, & mutant *c* in *g*, *comigo, contigo, consigo*: Galli peculiarem habent Præpositionem, nimirum *avec*; *avec moy, avec luy, avec eux, &c.*

Adverbiis tandem *qualitatis*, quæ *Galli* desinunt in *ment*, *Itali* & *Hispani* addunt *e*, & apud illos unicâ ferè voce solent exprimi; saltem quæ à Latinis veniunt, *Prudenter* prudemment *prudentemente*; *sapienter* sagement *saviamente*; *faciliter* facilement *facilmente*; fiuntque à nominibus Adjectivis scilicet in *e*, & fœmininis in *a*, addendo *mente*, *Leggiadra leggiadramente, dolce dolcemente*; *hermosa hermosamente, dificil dificilmente*. Sed notandum apud *Hispanos*, quando duo aut plura hujus generis *Adverbia* immediatè junguntur in oratione, ultimi solius profertur terminatio, *Linda y pulidamente*; ne scilicet sit ingrata similis terminationis repetitio. Hæcque sufficiant.

FINIS.

r
-
-
-
;
-
-
&
on
ia
m
n-
n ,

in
erè
ru-
ent
e à
ad-
en-
no-
ge-
rimi
ne